

# PARNASSI VIOLAE,

*Odarum,*

*Diſtichorum, & Anagrammatum*

Libri Tres.

Auctore Chriſtophoro Finotto

Venetó S. C. Publico

Profeſſore.

*Ad Illuſtriß. & Excellentiß. D.D.*

*Franciſcum Contarenum*

*Equitem,*

Et Procuratorem Ampliſſimum;

VENETIIS APVD PETRVM DE FARRIS. 1619

### Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

### Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

### Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

# PARNASSI VIOLAE.

*Odarum,*

*Diſtichorum, & Anagrammatum*

Libri Tres.

Auctore Chriſtophoro Finotto

Veneto S. C. Publico

Profeſſore.

*Ad Illuſtriß. & Excellentiß.* D.D.

*Franciſcum Contarenum*

*Equitem,*

Et Procuratorem Ampliſſimum.

VENETIIS APVD PETRVM DE FARRIS. 1619

Digitized by Google

Digitized by Google

# ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO

## D. D. Franciſco Contareno Equiti, & Procuratori Ampliſſimo.

*Chriſtophorus Finottus Venetus S. D.*

PLacuit aliquandò, Excellentiſſime Procurator, intermiſſa, vt aſſolet, grauiorum ſtudiorum occupatione, quam præ manibus habeo, ad captandum ſolatium aliquod, Parnaſsi Collem illum ſubire aureum, & pulcherrimum. Vbi mille inter oblectamenta, atque inter mille delitias, quæ nares, aures, oculos demulcebãt, ſuauiori me vi quadam, & impetu attraxerunt flores, & violæ, quibus vndique conſperſum ſolũ, velut quibuſdam gemmulis elucebat. Hæ multorum erant, & diuerſorum generum carmina, Heroica, Comica, Tragica, Lyrica, & id genus ſexcenta. Quorum ego portiunculam aliquam vt colligerem, amœniſsima ea loca ſemel, atque iterum magno cum ſolatio perluſtraui. Vide verò, quid collegerim, Procurator Ampliſsime, Odarum, Diſtichorum, & Ana-



Digitized by Google

[illegible] in laudem tuam, [illegible]
lium, Diuorum vnà, & Diuarum in paginis
floſculos. Quos vt verè fatear, ſumma diligen-
tiā collegi, & Ampliſſimo tuo nomini de-
ſtinaui. Id verò vt facerem, iuſtæ me cauſæ
impulerunt, & multæ. Nám ex quo tempo-
re tuorum ex Nicolao Fratre honeſtiſſimo
Vito Nepotum, optimæ indolis, ſummæq;
ſpei Adoleſcentium cura mihi mādata eſt,
vt eos liberalium diſciplinarum ſtudijs in-
formarem, tanta repente tuæ me cepit am-
plitudinis, tuæ gloriæ, tuarum virtutum,
tuorum in Rempublicam meritorū admi-
ratio, nihil vt prius habuerim, & antiquius,
quàm ea ſtatim quo poſſem meliori ſtudio,
& obſeruantia colere, atq; ornare. Nam q;
vt nemini obſcurum eſt, in Contarenam
Gentem, tuamq; Familiam omnia laudum
genera conuenire, ita tu certè, Franciſce Il-
luſtriſſime, qui omnem iamdiu compleſti
Terrarum Orbem tui nominis fama, tam
multis abundas, vt quod tuæ commune eſt
Genti, proprium tibi feciſſe videaris. Quis
enim eſt adeò ignarus rerum, qui neſciat
Contarenorū Genus eſſe antiquiſſimū, Vi-
rorum virtute, nam quid dicam, fortuna,
gloria, rebus geſtis ampliſſimum? & quod
ſibi maximæ laudi ducit, Sereniſſimæ Vene-
torum Reipublicæ addictiſſimum? E Rhe-
no olim eius Auctores ſtirpis veniſſe in Ita-

liam,

liá, & in ipſa Vrbe, quæ Princeps eſt Vrbium,
& Regum, ſemper conſediſſe, ac quos Comites
Rheni Comites appellabãt, verò ſenſu con-
texto nomine Contarenos appellari cœpiſſe.
Milleſimus prope annus eſt, cùm Dominicus
ille quartus & viceſimo Venetiarum Princeps
Optimus, eoq; ſtrenuiſſimus, vniuerſo Se-
natui, & Imperio Veneto ſingularem victoriam
apud Dalmatas nauali, ac terreſtri prælio,
de Illyriorum Principe reportata, inſignem
operam, ſtrenuamq; nauauit. Nec ita mul-
tis poſt annis ſimilem præſtitit Iacobus Con-
tarenus Princeps ſapientiſſimus, & aliquan-
to poſt tempore Andreas item dignitate
Principis inſignitus. Qui cùm diu id hono-
ris, & gloriæ recuſaſſet, in ſenectute tandem, vt
Patriæ obtemperaret, ad Reipublicæ cla-
uum acceſſit, & arduis illis temporibus,
cùm fatali quodam Marte, coactis in vnum
viribus ferè omnium Principum oppugna-
remini, feliciſſimè omnia adminiſtrauit:
tandem ſenio, & vita functus aurea ſtatua,
& inſcriptionibus publicis ad perennem re-
cordationem donatus eſt. Horum enim ve-
rò Principum gloriam ſecuti deinceps ſunt
Senatores, & Procuratores innumeri, qui è
Contarena Familia omni ætate in Republi-
ca floruerunt, & communem ſemper omni
ſtudio cauſam ſuſceperunt. Quorum lon-
gam hic ſeriem nè retexam, vnum te Fran-

ciſce

ciſce miſſis cœteris nominabo. Cuius egregia, ac fideli opera ita ſemper vſus eſt ad hunc diem Sapientiſſimus ille Optimorū Patrum Senatus, vt rei bene geſtæ, ac virtutis ergò, Procuratoria te dignitate, hoc eſt, ampliſſima decorarit. Teſtantur hoc illi labores tui, illa illa itinera, illæ viarum peregrinationes longiſſimæ, quas & libenti, & forti animo communem ob cauſam ſuſcepiſti. Teſtatur illę perhonorificæ apud Principes, Reges, Imperatores, Pontifices præclare obitæ de rebus maximis Legationes. Sed quid inquio Legationes? Vos ipſos appello teſtes Mantuæ, ac Florentiæ Vrbium nobiliſsimarum Maximos Duces. Vos Angliæ, Galliæ, Turcarum Potentiſsimos Reges: apud quos quanto in honore fueris, quantum authoritate pollueris, nihil attinet dicere. Vos etiam appello teſtes, Matthiam Inuictiſsimum Romanorū Regem, & Imperatorem, & Paulum Quintum Pontificem Maximum, & ſanctiſsimum; qui arduis in rebus, ac difficillimis, tanti Viri virtutem, & ſapientiam experti ſæpè, eam de Franciſco Contareno opinione ſemper optimam habuiſtis, vt in gerendis Reipublicæ magna cum felicitate, ac facilitate negotijs æquales habeat paucos, ſuperiorem inueniat neminem. Hinc tua Franciſce ingens apud Venetos gloria. Hinc tua in hac Or-

bis

bis duce, in hoc ſanctiſsimo ſapientiæ, ac iuſtitiæ domicilio exiſtimatio maxima. Hinc tua iſta ſublimis, & auguſtiſsima Procuratoria Dignitas, quam votis Patrum omnibus, ac ſuffragijs, acclamante in tua merita Populo obtinuiſti; quæque, vt precamur omnes, & auguramur, viam tibi facilem, & expeditam ad ſupremum quoquè dignitatis apicem facit. Nolo plura dicere, nè longus ſim. Hæ fuerunt igitur precipuæ cauſæ, quibus ego iampridem tuorum meritorum ergò in tuo ære locatus, meam tibi vt obſeruantiam ſigno aliquo patefacerem, laboraui. Sequuntur illæ. Singularia nimirum officia, quibus pro tua inſigni benignitate meam, & meorum vt humilitatem extolleres, inopiam ſubleuares, contendiſti; quæ talia ſunt, & tanta, vt in ore, atque animo meo verſentur ſemper, nec memorentur nunc à me ipſo, nē tuam offendere modeſtiam videar. Has ego ob cauſas non effugiſſem, vt arbitror, reprehenſionem prudentium hominum, ſi quas è Parnaſſo collegi violas, eæ ſibi non præſcripſiſſent nomen Illuſtriſsimæ Amplitudinis tuæ. Maluiſſem ea, quæ offeruntur, maiora eſſe, ac digniora. Sed à mea imbecillitate in præſens maiora exiſtere non potuerunt; & tua mihi facit fidem humanitas, & nominis magnitudo, vt benignitate accipientis, oblatæ rei exiguitas augeatur. Vale.

GLI Eccellentiſſimi Signori Capi dell'Eccelſo Cõſegl. di Dieci, hauuta fede dalli Signori Reformatori del ſtudio di Padoua, per relatione à loro fatta dalli due à queſto deputati, cioè dal R. Padre Inquiſitore, & dal Circ. Secretario del Senato Dominico Dominici cõ giuramẽto, che nel lib. intitolato, opera del S. Chriſtoforo Finotto diſtinta in tre libri, intitolata, Parnaſſi Violæ, non ſi troua coſa contraria alle leggi, & è meriteuole di ſtampa, concedono licentia, che poſſa eſſer ſtampato in queſta Città.

Dat. die 20. Nouembre 1617.

D. Franceſco Corer
D. Benedetto Bondumier
D. Silueſtro Valier
} Capi dell'Eccel. Conſegl. di Dieci

Illuſtriſs. Conſilij X. Sec.
Barth. Cominus.

1617. à di 15. Decembre.

Regiſtrato in libro à car. 83.

Ioan. Baptiſta Breatto offic.
Contra Blaſph. Not.

Digitized by Google

# CHRISTOPHORI
# PINOTTI VENETI
## Odarum liber
## Primus.

IN LAVDEM

*Illuſtriſſimi, & Excellentiſs.*

*D. D. Franciſci Contareni*

*Equitis, & D. Marci*

*Venetiarum*

*Procuratoris Ampliſſimi.*

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
FRANCISCVS. CONTARENVS.
21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34
EQVES. ET. SENATOR.
35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45
AMPLISSIMVS.

*Anagrammatiſmus.*

22 9 12 2 7 19 36 4 3 14 23 10 17 20 13 6 25 39
QVORSVM. NATVS. ES. NISI.
44 27 37 38 15 8 21 18 28 31 43 24 40 26 32
VT. PLACENS. AMES. ET.
41 42 11 5 33 16 30 1 29 34 35 45
SIC. CORNV. FERAS.

A ODE

## ODE I.

O VRBIS AVGVSTISSIMAE Inclytum decus,
O Magne Maximæ Domus
FRANCISCE ſplendor, & Senatus aurea
Oſtro rubentis gloria;
Clarum dedere cui genus Primatium
Rheni Ducum natalia,
Cantata ſæclis ante centum Vatibus
Antiquitate, nomine,
Penatium ſplendore, opum frequentia,
Geſtis, triumpho, laurea,
Auum tropheis, Imperiquè inſignibus,
Sceptris, coronis, faſcibus.
Inſigne Principum Genus, præconia
Quorum ſatis quis occinat?
Imagines quis aureas, quis nobiles
Palmas, & armorum graues
Mauorte partas effero Victorias?
Captas quis Vrbes, Oppida,
Fuſas quis Acies, quis triumphatos Duces,
Et ſubter aureis equos
Bigis ouantes? ipſa quis pacis bona,
Iuſti tenaces ſpiritus,
Prudentis animi fulgidum iubar, bona
Et ferre caſus pectora?

Artes

*Artes quis ipſas cultioris ingeni*
*Honeſto amicas otio?*
*Quis melleam facundiam, quis gratiam,*
*Et omne virtutum genus?*
*Quis ipſa honorum principum ſubſellia,*
*Et Imperi faſtigia?*
*Sublimia hæc nimis, nimiſquè plurima,*
*Aequanda nullo carmine.*
*At te decora ſtirpe tanti ſeminis*
*FRANCISCE quis natum canat?*
*Quis glorioſæ Prolis optimum ferat*
*Fœtum Camœna nobili?*
*Te non auita laus, vetuſquè gloria*
*Ad aſtra Cœli prouehit,*
*Priuata ſed virtus, honores proprij*
*Miris honeſtant laudibus.*
*Nam quæ benigna partiuntur cæteris*
*Dij potentes dextera,*
*Verſata pleniore copia geris*
*Diuinitus tecum bona.*
*Inuicta mens in te coruſcat Patriæ*
*Ferax ſalubris conſili;*
*Qualem Lycurgus concupiſſe dicitur*
*Priſcis Athenis aſſore.*
*Ex ore profluunt lepores aurei*
*Suauis eloquentiæ;*
*Quales canoro cantor ille Thracius*
*Vix perſonaret barbito;*

*Quamuis morari fluminum curſus potens ;*
*Et ducere auritum nemus.*
*Et ille magni nominis Tyrthæus Lacon*
*Dicundo vix tales dabat ;*
*Pleno theatro prominenti è pulpito*
*Cùm mille noxarum mala,*
*Et optimarum mille virtutum bona*
*Deprædicaret Ciuibus.*
*Accedit altum pectus, inuictiſſimum,*
*Deo paratum, Patriæ;*
*Cui quos labores, quæ viarum incommoda*
*Non vltro nauaſti lubens?*
*Dum Maximorum Regum, & Imperantium*
*Aulas adis perarduas,*
*Arcemquè Petri Numinis Vicariam*
*Laborioſo tempore,*
*Legatione functus Auguſtiſſima*
*Bis, tertiò petis. Virum*
*O Patriæ Amantem, Heroa Glorioſiſſimum,*
*Summis honorum faſcibus,*
*Sublimiori ſellula digniſſimum.*
*Quid laudis amplius tibi*
*Reſtat ferendum? Quid mereri iam potes*
*Magis Senator optime?*
*Diu laboraſti, diu pro Patria,*
*Pro publicis rebus diu,*
*Montes niuoſos, Alpium cacumina*
*Luſtraſti, & arduas vias,*

*Curſu*

*Curſu ſecundo, aui bona, felicius*
*Quàm vota poſcerent tua.*
*Non ergò mirum, quòd togatis Patribus*
*Viuas ſalute carior;*
*Quòd vniuerſis præcolare Ciuibus,*
*Et Patriæ nouus Parens*
*Clamere, Principis throno digniſſimus.*
*Morabor haud multis, vide.*
*Amabo, quorſum natus es, niſi, vt placens*
*Cui allaboras Patriæ,*
*Ames amantem Patriam, & Princeps bonus*
*Sic aureum Cornu feras.*

# AD INVICTISSIMAM ET AVGVSTISSIMAM Venetiarum Vrbem.

## O D E II.

*O Alma Tellus, Imperio potens,*
*Mauortiarum ſplendor & Vrbium,*
*Salſæ Imperatrix Tethyoſque,*
*Nata Maris Domina Adriani.*
*Beata ſedes Nobilis Imperi,*
*Prælecta Regi Cælicolum Deo,*

*Diuiſquè, Reginæquè Olympi*
*Hoſpitium poſitura in æuum.*
*Quæ Virginalis prædita floſculi*
*Decore, Solis regia limina,*
*Heroum & aſtris emicantum*
*Tecta Patris Superi æmularis.*
*Coruſca Pæno murice, Maximi*
*Aequa Senatus Pallade quæ nites;*
*Et fortia auguſtis Nepotum*
*Agmina mille paras triumphis.*
*Hùc Italorum, hùc ò Fidei Arx, Deo*
*Hùc plena ades; nam aptiſſima vincere,*
*Non apta vinci, prælianteṁ*
*Ipſa reges, animum dabiſquè.*
*En eſt agendum puluere Thracio,*
*Nouumquè Martis ferra ciet genus;*
*Bellanda laudum offert cupido*
*Bella nouo ingenio, nouiſquè*
*Armis. Vigorem tu dato brachij,*
*Te robur extet pectore firmius,*
*Nulliquè cedat te iuuante*
*Siue animus, mea ſiue virtus.*
*Tu ſi cupitas Adria Præpotens*
*Telis grauato ſuppetias feres;*
*Nec Theſſalos ictus timendos;*
*Nec Phrygias paueam ruinas.*



Digitized by Google

# AD SERENISSIMVM, ET INVICTISSIMVM PRINCIPEM CAROLVM EMMANVELEM SABAVDIAE MAGNVM DVCEM

## Vaticinium.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
CAROLVS. EMMANVEL. DEI.
19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33
GRATIA. MAGNVS. DVX.
34 35 36 37 38 39 40 41 42
SABAVDIAE.

## *Anagrammatiſmus.*

3 8 33 16 18 6 13 9 2 36 11 5 22 4 21 29 31 18
REX. DIVVM. AB. ALTO. AVDI.
20 14 19 24 15 17 26 10 35 12 7 39 32 1 40 30
REGALE. AMANS. DVCIS.
27 42 28 38 34 37 25 41
GENVS. AMA.

## ODE III.

*REx Diuũm ab alto audi preces orantiũ*
*Neu linque vota abire ventis irrita.*
*Regale amãs Ducis genus fortiſſimi*
*Ama, tuere, ſoſpita Inuictiſſimum*
*Domi, foriſquè, Maximumquè Principem.*



Digitized by Google

*Quem ſancta commendat fides, rectiquè amor,*
*Pienſquè obarmat corda vitę integritas.*
*Quem iura, leges, quem ſuborta iurgia*
*Dijudicata lance recta Ciuium,*
*Et publicę ſalutis ardor efficit*
*Suis amabilem, exteris mirabilem,*
*Heroa nulli in Orbe comparabilem.*
*Cuius quis ęquo Marte geſta pręlia?*
*Cædes quis hoſtium; quis agmina in fugam*
*Verſa, & triumphos occinat? Quis Oppida,*
*Captas & Vrbes, & reuulſa mœnia.*
*Quis nobiles victorias, quis aureas.*
*Palmas Ouantis, & trophęa illuſtria?*
*Ampliſſimis atque inuidendam Regibus*
*Famam perennem glorioſi nominis?*
*O Carole, O Emmanuel Dux Inclite.*
*Et Imperator Iam Futurus Optimus;*
*Tibi ſubacto Rhenus amnis gurgite*
*Aquis decorum tollet altis verticem.*
*Ad iuſſa ſtabit & fidelis Allobrox.*
*Et Cimber atrox, & Boemus armiger,*
*Bellaxquè Sneuus, & feroces Sarmatę:*
*Et quotquot Albis, quotquot Iſter alluit.*
*Iam, iamquè Thraces Imperanti cornua,*
*Et Regna ponent ſubiugata ſupplices.*



Digitized by Google

# IN LAVDEM
## SERENISSIMI
## Coſmi Medices
## MAGNI DVCIS
## Etruriæ.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
COSMVS. MEDICES. MAGNVS.
20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30
DVX. ETRVRIAE.

*Anagrammatiſmus.*

1 5 4 9 8 2 15 3 6 18 27 16 12 7 29 22 10 14 26 13
CVM. DEO. ASSVRGE. MAXIMVS.
28 17 24 23 25 20 21 11 30 19
INTER. DVCES.

## ODE IIII.

*CVm Deus è nihilo Terræ forma-*
*uit & Orbem;*
*Et arduos Cœli lares;*
*Inſeruit Mundoque homines, &*
*Sydera Olympo;*
*Nil vt foret perfectius;*
*Influxum ſuperis intrudit ad infima ſphæris;*
*Citóſque motus indidit;*

Sic

*Sic tamen vt primę rapiatur & vltima motu,*
*Sequatur & leges Ducis.*
*Primates etiam Populis pręfecit, & Vrbes*
*Manu locauit Principum;*
*Imperij qui fræna regant, qui ſceptra căpeſſant.*
*Totoquè mentis impetu*
*Optata importent ſubiecto ſęcula Ciui,*
*Et ęquiora tempora.*
*Hos inter Medices pręcelſa ab Origine Coſmum*
*Traxit Ducem Florentia,*
*Inſignem virtute, auſiſquè illuſtribus vnum,*
*Sublimiorem cęteris.*
*Huic accepta refert legum Florentia iura,*
*Et ęquitatis munera.*
*Huic Thuſco diſpulſa ſolo lethalia monſtra*
*Cæde in bonos graſſantium;*
*Huic tranquillam Vrbem, Cereali & fruge refertã*
*Ac ſęculum Saturnium.*
*O Coſme, ò magnum decus ergò. Maximus inter*
*Aſſurge cum Deo Duces.*



Digitized by Google

# IN ORTV FERDINANDI PRINCIPIS Magni Ducis Etruriæ Filij ad D. O. M.

## ODE V.

*SVpreme Cœli Rector, & Arbiter*
*Labentis ęui, quem, ſimul annuis,*
*Veretur, è veſtigioquè*
*Terra, & Olympus, & Vnda paret.*

*Tu qui beato ſemine Maximum*
*Ornas auito ſanguine Principum*
*Genus, recenti maſculaquè*
*Prole beas Italos Penates.*

*Hoc læta quandò Germine Florida*
*Vrbs gratulatur, ſpequè potirier*
*Attollitur felice ſęclo,*
*Vota precantis, amabo, ſume.*

*Da profuturę tempora plurima*
*Vitę tenello Principi, & aureos*

*Ortus*

*Ortus dierum longiorum*
*Prouehito meliore curſu.*
*Firmetur, oro, robore Cælitum*
*Infantis ętas, perdere bellicos*
*Nati Scytharumquè apparatus,*
*Enſe feroſquè domare Turcas.*
*Sed COSMVS vnà Maximus Optimus*
*Viuat, beandus Neſtore ſerior,*
*Cum regna ſpectarit ſubacta, &*
*In ſeriem Geniti Nepotes.*

# IN LAVDEM

# ILLVSTRISSIMI, & Excellentiſs. D. Nicolai Contareni Veneti Senatoris.

## ODE VI.

*DAtum iocoſę, Muſa procax, lyrę*
*Sat eſt; rigentem ſiuè Licorida,*
*Alconis aut ignes, opacas*
*Collibuit reſonare ſyluas.*
*Nunc pone luſus, atque hilares iocos,*

*Cultrix*

*Cultrix Amorum deſine mollium,*
*Extolle, amabo, te parumper*
*Grandiloquò modulata plectro.*
*Dic CONTARENI purpureum iubar*
*Centum inter, ac bis centum Adriæ Viros,*
*Quos extulit præclaram Olympo*
*Inuidiam ſubitura Virtus.*
*Non huic auitæ nomen imagines*
*Clarum dedere, vt aſſolet, aureis*
*Non picta tercentis tabellis*
*Atria, non Atauum trophæa:*
*Non alta Graijs moribus Aedium*
*Extructa moles marmore Ionio,*
*Non veſtis oſtrum purpuratæ,*
*Non laqueata ſuperba tecta:*
*Non & proteruum, qualia ſint, caput*
*Quæcumque vano faſtu hominum replent,*
*Verenda Maieſtas Parentum,*
*Et pretioſa domi ſupellex.*
*Haud iſta deſunt, næ fateor. decus*
*At inde partum cedit, vbi Artium*
*Cohors renidet maximarum,*
*Pars animæ meliorquè Virtus.*
*Illa illa Virtus, ex Acherontijs*
*Quæ nos tenebris auocat, & ſuper*
*Inane portans, Præpotentum*
*Inſerit ordinibus Deorum.*
*Virtus per Aethram non meritis mori*

*Iter*

*Iter recludens, & Populo leui*
*Secare inacceſſam viam Axis*
*Sola potens fugiente penna.*

*Hac Magne quondam tu Ioue fulminum*
*Deo cruentarum Domitor ſate*
*Ferarum, Olympo ſubuolaſſe*
*Poſt varios caneris labores.*

*Hac Regna Diuûm concitus attigit,*
*Olim ſuperbum quo Capitolium*
*Stetit, togæ illa, armiſquè quondam*
*Roma vetus genita, & triumphis.*

*Aufugit Orcum ſic vagus Inferum*
*Manu Macedo cedere neſcia,*
*Et Imperantum celſiori*
*Promeruit ſolio locari.*

*Sic bellicoſo primus in agmine*
*Auguſtus, acer terror & hoſtium,*
*Et Imperi totum per Orbem*
*Amplificator, ad aſtra Cœli*

*Peruaſit vſquè; interquè Deos Iouis*
*Menſæ recumbens, ambroſiam capit*
*Dulcem, beatos nectariſquè*
*Ore bibit roſeo liquores.*

*Hac arte nixus tu quoquè Maximi*
*Splendor Senatus purpureo ſago,*
*Ac Principes inter togatos*
*Alme decus* NICOLAE *clarum,*

*Aeternitatem nominis, inclytam*

*Famam-*

*Famamquè fauſtis alitibus paras,*
*Et Poſteris longè futuris*
*Inuidioſa trophæa ponis.*
*Dum ſæuus oſor delitiarum, amans*
*Verò laboris, nobilis ocij,*
*Nunc artium ſacratiorum*
*Blanda colis ſtudia, & camœnas.*
*Nunc fulminantum magna Quiritium*
*Ora, & lepores mellifluos refers;*
*Nunc bella, paces, atque mores,*
*Geſta foriſquè, domiquè condis.*
*Non ergò mirum, totus ab aureo*
*Si pendet ore, & conſilio Patrum*
*Ampliſſimorum hæret Senatus,*
*Tequè loquente ſtupeſcit Orbis.*
*Non ipſa mirum ſi Patria, & ſolum*
*Natale gaudet, tequè tripudiat,*
*Aeuoquè functi ter verendum*
*More pio ſenium precatur.*
*Felix ò Vrbs, ò & Superi Maris*
*Regina, tanto ſemideùm Viro*
*Primario felix quaterquè,*
*Ac decies, iterum quaterquè;*
*Dum CONTARENO ſoſpite adhæſeris*
*Amica Diuis auxiliantibus,*
*Soles videbis perbeatos*
*Inuidia, tituliſuè maior.*
*Et fama velox tollit ab æquore*

*Quà*

*Quà Phoebus, & quà condit equos, citò*
*Meabit, Oris ac remotis*
*Facta feret, Venetumquè nomen.*
*At te perenni dent Trieteride*
*Frui potentes intereà Dij,*
*O dulce ſolamen Virorum*
*Mentis opes auidas amantum.*

## IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI & Excellentiſs. D. Laurentij Marcelli Veneti Senatoris Ampliſs.

## ODE. VII.

*LAVRENTI Olympo nate benignius*
*Afflante, circumfulgere & aurea*
*Experte blandùm ſigna, puro*
*Aſtraquè læta micare Cœlo.*

*Quo te ſonabit carmine, qua lyra*
*Clio ſororum paruula, ò Italum*
*Iubar decorum, ò Patriæ ſpes*
*Fida, decus, columenquè rerum.*
*Natale mecum ſi repeto ſolum,*
*Pulcherrimarum nobilis Vrbium eſt*
*Regina, Tellus illa ſceptro*
*Maxima, diues opum, beata.*
*Illa Imperatrix celſior Adriæ,*
*Suffulta Diuùm Numine marmoris*
*Fluentis vnda, Inuicta Virgo,*
*Barbarico metuenda Thraci.*
*Ferox in armis, pacis amantior,*
*Regum triumphis aucta perennibus,*
*Seris, & Indis inuidendo*
*Imperio fruitura in æuum.*
*Regale verò ſi genus effero,*
*Prognate claro ſanguine Principum*
*Auras ſubiſti purpurato ex*
*Agmine de ſolio imperantum.*
*MARCELLVS olim Maximus, Optimus,*
*Ille Imperator nominis inclyti,*
*Quem bello, & armis præpotentem*
*Martia Roma tulit trophæis.*
*Cuius triumphos innumerabiles,*
*Et facta iuſtis tollere laudibus*
*Præclara curæ eſt, facta nullis*
*Fortia temporibus tacenda.*

B *Anguſta*

*Anguſta ſed tanto ora cupidini*
*Eheu repugnant, nec pietas parem*
*Sortita virtutem Camœnæ,*
*Magna timet tenuare paruis.*
*Ille ergò flauum ſeu Tiberim prope,*
*Siue Adriani littoris accolas*
*MARCELLE, Genti digna iecit*
*Semina prima tuæ feraci*
*Fœtu. Quot illinc namque fluentibus*
*Venere ſæclis belligeri Duces,*
*Quot Principes, quot Præſtites, quot*
*Purpurei Proceres Senatus.*
*Non longè abibo. Tu Venetum decus*
*LAVRENTI, Auorum progenie ſatus,*
*Ades micantum ſceptro, & oſtro,*
*Impoſitaquè comis tiarâ.*
*Manauit in te regia ſcilicet*
*Verenda maieſtas Atauùm, vetus*
*Illa Optimatum permeauit*
*Gloria deperitura nunquam.*
*Quin ipſa virtus agmine plurimo*
*Seu Gratiarum, ſeu Charitum Choro*
*Confluxit; ingens illa virtus*
*Nomen ad aſtra potens leuare.*
*Hac æquitatis tutor, & arbiter,*
*Mens conſulentis prouida Curiæ,*
*Maturus annorum, ſecundis*
*Temporibus, dubijſquè rectus.*

*Vindex*

Digitized by Google

*Vindex honeſti, iuris, & optimi,*
*Per quem recedat praua licentia,*
*Turpiſquè peccandi libido*
*E Veneta procul abſit Vrbe.*
*At quis gerenda re benè publica,*
*Quis ordinanda te ſapientior?*
*Virtute quis, rebuſquè geſtis*
*Imperio propior ſupremo?*
*Sed conſcius me plura vetat pudor,*
*Leuiquè tantum Muſa ſtrepens lyra.*
*Vos ò, quibus vena eſt benigna,*
*Magna modis celebrate magnis.*

# AD ILLVSTRISS. & Excellentiſsimum. D. Auguſtinum Amulium Venetum Senatorem Ampliſsimum.

## O D E. VIII.

*O Nate magno Maxime nomini*
*Amuli, in Vrbes ſeu geris inclytas*
*Faſces decoros, æquiori*
*Imperio Populos coercens.*
*Seu fulminantem te Procerum manus*



Digitized by Google

*Roſtris ab altis obſtupet Adriæ, &*
*Alto tonantem exercet ore.*
*Dum rogitante Patrum Senatu*
*Conſulta profers, iuraquè Pompili*
*Olim Parentis ſyngrapha iurium,*
*Legeſquè longè ſanctioris*
*Poſthabitura graues Catonis.*
*Te non uoluptas, non labor improbus*
*Vnquam detoris abdicat Artibus,*
*Non praua ſemouit cupido,*
*Ambitioſus amoruè rei.*
*Emiſſa quondam Monſtra Acherontio*
*Sunt hęc barathro. Monſtra perhorrida,*
*Imbuta fatali ueneno, &*
*Angue caput redimita tetro.*
*Ex quo pererrans Aetherias domos,*
*Audax ab aſtris Iapeti genus*
*Subduxit ignes, damnaquè ipſis*
*Ignibus aſſociata centum.*
*Pudenda proles tum ſcelerum ſolo*
*Errare cœpit, pectora luxibus*
*Veſanaquè obmulcere, fœdos*
*Ingenerare animiſquè mores.*
*Nefanda porrò ſæcula, peſtium*
*Illa, & malorum ſemina plurium,*
*Quę prima turpi admixta flammę*
*Otia fœda tulere Mundo.*

*Manauit*

Digitized by Google

*Manauit illinc ſcilicet impia*
*Caterua centum flagitiorum, agriquè,*
*Vrbesquè, Tellus tota, & Aer*
*Colluuie uitiorum inundat.*
*Heu turpis ętas, heu fera ſęcula,*
*Et cuſa ferro. Sed tu Adrię decus*
*AMVLI ò Heros, tot Ferarum*
*Indomitus Domitor triumphas.*
*Te uix in auras Aetheris editum*
*Excepit Orbis, Tartara ad horrida*
*Repente cum fugere noxæ,*
*Otiaquè, & uitia exularunt.*
*Recensquè ut orta prole Hyperionis*
*Soluuntur umbrę, nec patitur gelu*
*Aeſtum, nec algentes niues, ſed*
*Sole madent reſolutę, & igni.*
*Tuos ad ortus ſic Stygia è lue,*
*Vmbrisquè tota emerſit humus. nigra*
*Nox fugit, auratoquè cœpit*
*Pulchrior ire dies Olympo.*
*Fulgere & unà nobilis Artium*
*Cultus bonarum, Pallas & aurea,*
*Et optimarum litterarum*
*Gloria deperitura nuſquam.*
*O ergò Diuis orte fauentibus,*
*O nate Cœli ſyderibus bonis,*
*Per quem metallo puriori*
*Inuidioſa meauit ętas.*

B 3 Heroe

*Heroe quouis macte beatior,*
*Quo iura legum, quo pietas viget,*
*Tenaxquè recti mens, vetuſquè*
*Relligio, patrijquè mores.*
*Famæ trophæum ſcilicet optumæ*
*Perenne ponis pectoribus Virum,*
*Quod nulla corrodet vetuſtas,*
*Nulla terentquè futura ſæcla.*
*Et grata Tellus nobilis Adriæ*
*Subſelliorum prima Curulium,*
*Et aureum cornu parat. Dij*
*Sic faueant Duce te Secundi.*

# AD ILLVSTRISSIMVM D. IOANNEM BASADONAM Senatorem Venetum.

## ALLEGORICA ODE. VIIII.

*ENauigandum eſt arduo mari; ratem*
*Iam iamquè ſoluo littore.*
*Quàm vaſta Tethys, quàm profunda cærula?*
*Quàm fluctus inſanit Noto?*
*En vt minaces imminent Euris aquæ,*
*En turbo quantus ingruit?*
*Vrgent procellæ, nymbus inſtat horridus.*

*Aſſibilat*

Aſſibilat ſæuùm mare.
Proh Cælitum Regem: quid eſt tantum mali?
Quid pontus heu ſic æſtuat.
Tu Magne Rector, optime ò rerum Sator
Qui lora Cæli temperas,
Terramquè inertem, Vrbes, Penates, omnia
Aequis miniſtras legibus;
Compeſce tu potens minas, tu naufragis
Puppim tuere fluctibus.
Obſtringe tu triſtes Notos, Iapyga
Antroquè ſolue liberum.
Sic ſoſpes ibit & Carina, & Nauita,
Araſquè fundabit tibi.
AT BASADONA, Heroa s inter inclytos
Perinde qui fulges ſolò;
Minora vt inter Luna pernox lumina
Cælo coruſcat igneo;
Tu Ductor eſto, tu ſoluta lintea,
Prudensquè clauum dirige.
Scyllæa ſaxa ſic rapacis Phorcidos,
Syrteſquè vitabo feras,
Tibiquè ſtabit Symbolum Victoriæ,
Cum prora tanget littora.



Digitized by Google

# AD EVNDEM
## ALLEGORICA.
## ODE. X.

Contudit Lernæ capitoſa Monſtra
Enſe, mox flammis Domitor ferarũ,
Maximo natus Ioue Præpotentum
Doricus Heros.

Hinc leuis toto ſpatiatur Orbe
Aura millenis agitata plumis,
Herculis nixus recinit tubaquè
Fama per Vrbes.

Acta iam quidnì volitet per Oras
Auſonum pennis, per Eoa Regna,
Te Duce, ô Heros, renouata noſtri
Gloria belli?

Arma te nobis acuente fauſtam
Egimus pugnam, faciliquè Marte
Hoſtium dextras pugiles, ferumquè
Fregimus ictum.

Te Duce eſt uictum, Duce te trophęo
Vtimur, pleni ſpolijsquè ſimus,
Laurus & uernis viridans corollis
Tempora cinget.

Sed uide; bello petimur recenti,
Ac ferox tollit rediuiua colla
Anguis, & fętu nocuo tumens re-

pullulat

*pullulat Hydra.*

*Adde tu uires precor ò Ioannes.*
*Adde tu nobis animos; fauore*
*Dum tuo Martes ineantur, hoſtes*
*Vincere certum.*

*Tum tibi laudes, tibi Iò triumphe*
*Sępe dicetur; tibi per viarum*
*Compitos ſtabunt ſtatuæquè puro*
*Ære leuatæ.*

## AD EVNDEM ALLEGORICA.

## ODE XI.

*QVin ſolemnia Maximo*
*Soluam uota Patri Cælicolum Deo?*
*Sexcentas tibi gratias*
*Quin Heros titulis Inclyte perferam?*
*Aeterno Auſpice Numine*
*Enauit rapido illæſa ratis Noto.*
*Effugi Duce Syrtium*
*Te fauces, pelagi ſæua pericula.*
*O deſiderium meum.*
*Vt uoto licuit liberius frui?*
*Pergant ò utinam benè,*
*Quę cœpi benè. felix ades ò Deus.*
*Tu felixquè ades ò decor*
*Vrbis Sydonio murice nobilis,*

*Heroum*

*Herorum iubar aureum,*
*Inuictæquè Adriæ gloria Principum.*
*Bello ſcilicet effero*
*Imbellis premor. heù Monſtra biformia,*
*Heù diræquè nimis feræ,*
*Quales edomuit Cœlifer Hercules.*
*Hùc parmæ, hùc galeæ cauæ,*
*Hùc enſes teretes, hùc iacula, & faces.*
*Hoſtilis violentia*
*Sic cedens valido corruet impetu:*
*Sic palmis locupletibus*
*Exornabor ouans ad Capitolia.*

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI D. Vincentij Piſani.

## O D E. XII.

*NVnc ſume blãdam Melpomene lyram,*
*Dicenda nobis gloria plurima*
*VINCENTII, & pręclara virtus*
*Obijcitur peritura nuſquam.*
*Nam ſi decorum eſt ſanguine Principum*
*De ſtirpe clara nobilium Patrum*
*Prodire, quos adiecit oſtrum, &*

Purpura

Purpura Semideûm Coronæ;
Quis clariori progenie ſatus
Affulſit Orbi? quis celebratior
Geſtis Auorum proſequendis
Egregijſquè Ducum triumphis?
Piſana nota eſt Adriaco ſolò
Domus, beatò ſemine maximâ
Centum Nepotum, quos perenni
Nomine conſpicuos vetuſtas
Laudata fecit? ſcilicet aureos
Vt inter ignes Heſperus enitet,
Sic illa longè prominentes
Exuperat ſpecioſa ſtirpes.
Sunt iſta certè maxima, quis neget?
Sed vna virtus ex Acherontijs
Nos auocat verè tenebris;
Ac ſimiles facit eſſe Diuis.
Sic aſtra Princeps ipſe Quiritium
Peruaſit, altos Aetheris & lares,
Potitus eſtquè excelſo Olympo
Indomitus Domitor ferarum.
Sic verò VINCENS ante alios præit,
Interquè cantatos Proceres ſolum
Per vniuerſum, fulgurantum
Aſtra ſuper volitat Polorum.
En vt citatis greſſibus editos
Gradus honorum, munere Palladis
Subit, triumphaturus, Vrbes



Digitized by Google

*Et Populos ubi ſanctiori*
*Splendore legum, lumine iuriumquè*
*Ornarit. Omen ſic Deus Optimus*
*Fortunet, æternum Adriano*
*Principe detquè frui per æuum.*

# IN LAVDEM

# ILLVSTRISSIMAE
## D. Eliſabet Baduariæ Vxoris eius lectiſſimæ Fœminæ.

### ODE. XIII.

*ET plectro, & fidibus iuuat*
*Indulgere ſonantibus,*
*Plauſtro dum micat aureo,*
*Titan Axe ſereno.*
*Quem verò ante alios Virum*
*Ortum ſanguine nobili,*
*Seu quem carminibus Deum*
*Clio rite canemus?*
*Nec te iam nemoris ſacri*
*Cuſtos, atque Heliconij*
*Collis, Caſtalidum Gregis*
*Phœbe ò ſola voluptas.*



Digitized by Google

Nec te progenie Iouis
Nata Delia Maximi,
Cultrix vnica fontium,
Syluarumquè habitatrix:
Nec te blanda Cupidinum
Mater, cui Charites volant
Circum, cui Iocus, aureis
Blanditurquè Amor alis.
Vnam laudibus inclytam
Mens eſt ELISABET Polo
Inferre, vndique nomina
Sic vt prædicet Echo.
Hanc ergò ò Pueri integri,
Et vos dicite Virgines:
Phoebum linquite; linquite
Latonam, & Cythéream.
Illa ſcilicet vltimo
Indo ſol veniens nihil
Videt clarius, & nihil
Par naſcetur in Orbe.
Hec pulchram Venerem præit
Oris luce decentior?
Vincit ſanguine Deliam,
Phœbeam & colit Artem.
Hanc Vates iubar Adriæ
Cantant, & decus aureum
PISANÆ, & BADVARIÆ
Nunquam labile Gentis.

Sic

*Sic verò ora per omnia*
*Viuat gloria Coniugis,*
*Vt fama* ELISABET *dies*
*Eſt uiſura perennes.*

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI D. Dominici Molini Patritij Veneti.

## ODE. XIIII.

*AT ò MOLINE ſplendor Vrbis Inclytæ,*
*Et omnium pulcherrimæ,*
*Quotquot vel Indo Phoebus amne prodiens,*
*Vel occidens circumſpicit.*
*Quo te ſonabit Muſa digno carmine,*
*Quibus vehet te laudibus?*
*En vt timentem nota uirtus arduum,*
*Tuumquè me iubar rapit;*
*Iam tollor audax ad propinqui lumina*
*Spectanda Solis aurea.*
*Tibi Domus altiſſimæ inclytum genus,*

*Quæ*

Digitized by Google

*Quæ ſceptra geſſit Imperi,*
*Primosquè honores, obtigit. Dignum quidem*
*Quo glorioſus ambules.*
*Nam quid Penates efferam, quid aureos*
*Lares Parentum concinam?*
*Quid ſigna, faſces, & trophæa inſignia,*
*Aeternitatis conſcia?*
*Quid purpurarum lumen auguſtiſſimum,*
*Sacras tiaras Præſulum,*
*Ducum coronas, Imperantum Regias,*
*Sceptra & uerenda Principum;*
*Iucunda ſunt hæc ſcilicet, lætiſſima,*
*Multis tamen communia.*
*Et illa ſolum laus habetur integra,*
*Quæ ſit cuique propria.*
*In te renident hoc genus ſed plurima,*
*Velut decora ſydera;*
*Quem docta Pallas, & Iouis prænuncius*
*Miris bearunt artibus,*
*Scientiæ dulci educarunt nectare,*
*Et mellea facundia.*
*Cui largiora combibiſſe pocula*
*Permeſſidos de flumine*
*Apollo lætus contulit. Sacrum caput,*
*Muſis amicum, Vatibus,*
*Mortalibus, Diuis, Deoquè amabile,*
*Et inuidendum Regibus.*
*Tu litteris, & otio, & negotio*

*Mican-*

*Micante in Vrbe intermicas.*
*Et glorioſa inſignis in Republica*
*Plenus triumphas gloriæ.*
*Tu nobilis curę, & laboris particeps*
*Inter Viros Primarios*
*Rei tuendæ conſulendo prouides,*
*Ius & miniſtras legibus.*
*Huc adde comitatis, & clementiæ,*
*Aequi, & boni cupidinem;*
*Et multa paucis vt recludam, candidos,*
*Vereque mores aureos.*
*Ciues quibus, Patresque, & omnes copula*
*Obſtringis inſolubili:*
*Hinc gratia, & potentia tantum vales,*
*Quantum valere vix cupis.*
*Hinc ſumma honorum pergis ad faſtigia*
*Tuto, ac fideli tramite.*
*Quos aſſecutum te ſimul conſpexero,*
*Tum forſitan teſtudine*
*Te cultiori concinam, & Cælo caput*
*Sublime lætus inſeram.*
*Sed interim quos offero, libens cape*
*Muſę modos inconditos;*
*Et me clientes inter, oro, paruulum*
*Foue, tuere, ſoſpita.*



Digitized by Google

# IN NVPTIIS CLARISSIMORVM Virorum Bertucij Valerij, & Benedictæ Piſanæ.

## O D E. XIIII.

*QVò me Phoebe rapis tui*
*Plenum? fatidico quos, age dic, ſpecus*
*Oeſtro percitus inuehor?*
*Suaue ò delitium nobilis ingeni,*
*Olim pectine Leſbio*
*Solatiquè canoro Aonidum melos,*
*Sed quidnì iuuet interim*
*Hæc inter nemora, & frondiferos tibi*
*Lucos Phœbe ſacerrimos,*
*Indictum ore alio carmen amabile*
*Moliri, ac decus inclytum*
*Blandis ferre modis nuper amantium?*
*Sponſorumquè recentium*
*Felix coniugium tollere laudibus?*
*Nil paruum, aut humili modo,*
*Nil exile loquar. Sponſa venuſtior*

*Vel bis mille Puellulis,*
*Quas commendat honor, quas Atauùm decus,*
*Quas oris lepor aureus,*
*Diſtinctæquè notis purpureis genæ*
*Candentes, hilarum caput,*
*Obtutus facilis, labra corallina,*
*Auro fulgidulæ comæ,*
*Oſtrum veſtis, inaureſquè lapillulis*
*Intextæ radiantibus,*
*Collo & plurima torques hyacinthina,*
*Atquè inſignia cætera.*
*Non ſic Diua tenes quæ Cypriam Paphon,*
*Saltuſquè Idalios colis,*
*Profers oris ebur, vel decus aureum.*
*Haud tantis opibus vales,*
*Quæ Memphim placido lumine temperas;*
*Hęc vt Virgo recens Viro*
*Deſponſa, ingenio ſemper amabili.*
*Eſt Vir ſcilicet aureos*
*Mores vnus habens, præditus indole*
*Præclara, inter amantium*
*Cœtus, Palladio puluere nobilis.*
*Olli ſeu Proauùm, Patrum*
*Seu mauis, generoſum genus, accini*
*Lesboa meritum tuba.*
*Olli quæ nimium Virginibus placet,*
*Oris gratia plurima,*
*Frontis planities læta, ſerenaquè,*

*Oſtro*

Oſtro mala rubens, niuis
Circum candidulæ fuſa leporibus.
Olli planè oculus grauis,
Inceſſus grauior, mens ſapientior.
Quid plura? eſt locuples Domus
Plenis exuberans ſcilicet horreis.
Cur ergò haud amet vnicè
Tantum Sponſa Virum ſenſibus intimis?
Quid tanto oſcula Coniugi, &
Amplexus placidos tendere differat?
Iam vos obſequio pari
Sponſi delitias eià agè mutuas
Iucundùm facite, inuicem
Collis inijcite extenſaquè brachia;
Blanda affigite baſia,
Et caſto thalami ſors bona ſit thoro.
O quales video noui
Fœtus coniugij, quam ſobolem? Dij
Adſpirate benignius,
Per millena, rogo, ſæcula Amantibus.

CHRISTOPHORI FINOTTI

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI, & Reuerendiſsimi D. D. Franciſci Vendrameni S. R.E.Cardinalis,& Venetiarum Patriarchæ Digniſsimi.

## O D E. XVI.

Poeta,& Echo.

*P.* O *Quę latentes accolis receſſus*
*Iocoſa imago, mugiente reddis*
*Sonoſquè ſylua, nūquid Adriani*
*Annoſa Præſulis futura uita eſt?*
*E. Ita eſt. P. Labore ſed ſuo an licebit*
*Digniſſimum inuenire pręmium vllum?*
*E. Nullum. P. micabit igneo galerus*
*Ostronè. E. næ. P. ecquis efferet ſonanti*
*Cantu? E. tu. P. Egonè prædicabo tantum*
*Heroa laude? E. aude. P. O nimis tumentē*
*Mentem, canora ſi putem camęna*

Poſſe

Digitized by Google

*Poſſe aſſequi preconia efferenda*
*Vix dignè Homeri Muſa. inanis herclè*
*Foret voluntas. Hinc procul ſuperba,*
*Leuiſquè cogitatio recedat.*
*E. Cedat. P. ſimulquè Echo recede. E. cede.*

## PRO EODEM

# AD COELESTES Diuorum, Et Angelorum Choros.

## O D E. XVII.

*TErra quæ ſummo Genitore plena*
*Alitum Pubes, Legioquè Diuûm*
*Accolis, Cœlo fruitura in æuum*
*Copia felix.*
*Si iuuat noſtris aliquandò rebus*
*Figere obtutus, iuuat & precantum*
*Nolle quorumquam pereundo vota*
*Irrita fiant.*
*Fundo quas voces manibus ſupinis,*
*Eia nè perdam, facite ò benigni*
*Aetheris Ciues, mea nè rogantis*
*Temnite vota.*
*Vos, precor, Diuos habeat ſecundos,*

CHRISTOPHORI FINOTTI
*Dignus Antiſtes, Veneto Gregique*
*Excubet, tantum ferat & fauente*
*Numine pondus.*
*Præſul hic veſtras cumulabit aras*
*Thure Panchæo, memor atque grates*
*Debitas ſoluet, pretioſa ponet*
*Donaquè Templis.*

# AD CHRISTVM, ET B. VIRGINEM pro Eodem.

## O D E. XVIII.

Pueri, & Puellæ.

*Pueri.* T*E Chriſtum Vnigenam Patris in Aethere,*
*Sub Coelo Vnigenam Matris & innubæ,*
*Hac in Aede ſacrata*
*Affamur Pueri prece.*

*Puellæ.* *Te Matrem Vnigenæ Patris in Aethere,*
*Sub Cæloquè tui cordibus intimis*
*Nos, attende, Puellę*
*Oramus prece ſupplici.*

*Pueri.*

Digitized by Google

Pueri. *Aris, Chriſte, nouus præficitur tuis*
*Preſul, candida cui mens nitet, aureo*
*Et fulgore renidet*
*Pectus, quale Dijs decet.*

Puellæ. *Aras Virgo tuas in Veneto ſolo*
*Antiſtes cumulat muneribus nouis,*
*Cui ſacro igne caleſcit*
*Pectus, quale placet Deo.*

Pueri. *Nil cunctatus ades Rex bone Cælitum,*
*Exaudito libens, quas Pueri tibi*
*Pro Paſtore recenti*
*Caſtas concipimus preces.*

Puellæ. *Aurem da cupidam Virgo rogantibus*
*Paſtori Veneto ſæcula Neſtoris.*
*O dulciſſima Virgo*
*Audi Virgineas preces.*

## AD EVNDEM.

## ODE. XVIIII.

*AVſus donec amaueris*
*Altos, nec potior brachia quiſpiã*
*Cælo erexerit ardua,*
*Viues Aemathio Rege beatior.*
*Donec Præſul ò Inclyte,*
*Viuaces modulis iuero per tuas*
*Laudes, ac titulos tuos,*

Muſarum fuero Præſtite clarior.
Sic Clio loquitur, Gregis
Clio Caſtalidum, luxquè Heliconij
Collis, carmine doctior
Quouis alite, cariſſima Delio.
Quin imo Veneti canunt
Sic Ciues hilari Præſule te nouo,
Feſtiuiſquè canoribus
Indulgent, modulis auraquè perſonat.
Cernunt nempe ſub aureo
Abs te fronte tegi pectus amabile;
Ornamenta Deo uident
Templo grata magis, thurequè maſculo.
Cor prudens, cilium graue,
Heroum decus, Inſignia Præſidis
Almæ Palladis Artium,
Diuiniquè iubar purpureum ingeni.
Candentes animos, niuem
Pluſquam lacteolæ mentis eburneam;
Vitamquè Angelica parem,
Afflatuquè Dei percita pectora.
Hi fulgent radij tui;
Hæc Franciſce nitent aurea ſydera
Claro lumine, largaquè hinc
Cantus materies ſuggeritur mihi.
Sed Mortalibus arduum eſt
Cælum tangere, uelle inſipientis eſt.
Nè præceps agar Icaro

Par

*Par ergò, cohibe Muſa modos. Vale.*

# DE EODEM AD CIVES VENETOS. ODE. XX.

*Nunc eià pulſo pectine cantibus*
*Aptare uoces nobilioribus,*
*Mulcere tractus Aetheriſquè*
*Tempus adeſt Veneti ſodales.*
*Vix ante fracto verba ſilentio*
*Fudiſſe fas oris fuit, oſculo &*
*Vultus loqui, ſenſumquè mentis*
*Pandere deficiente voce;*
*Orci quòd Hoſtis ferreus Inferi*
*Obtenderet noſtro inſidias Gregi,*
*Vt cogitans vel muſſitare*
*Aggrederetur ouans Ouile.*
*At vero tantus deperijt furor*
*Cum Dite nigros truſus ad Inferos,*
*Vt Præſulis ſplendor recentis*
*Emicuit, rutilumquè ſydus.*
*Hoc Sole nobis purpureum iubar,*
*Fundentequè ignem lucis amabilem,*
*Formidoquè, vmbræquè hinc faceſſent,*
*Corda fuantquè ſereniora.*
*Hoc eiulatus, hoc aberunt metus*

*Curęquè triſtes, & querimonię ;*
*Tranquilla fientquè, aureoquè*
*Tempora tranſierint metallo.*

# GRATVLATIO de eius ab Vrbe Romæ Venetias reditu.

## ODE. XXI.

*ET thure, & fidibus iuuat*
*Grates Aethereo ſoluere Numini,*
*Soſpes quo redijt Duce*
*Primas Dalmatię, Gloria Pręſulũ,*
*VENDRAMENVS eburnea*
*Dignus concinier Delphicolæ lyra.*
*O Solem nitidum, ò diem*
*Signandum niuei luce lapilluli;*
*O Cęlum facile, ò Dei*
*Supra quàm cupimus, propitium iubar.*
*Quiſnam lætitiæ notas*
*Nolit dulciſonis promere cantibus?*
*Quis non gaudia proferens*
*Elatis feriat ſydera vocibus?*
*Atque ingrata ſilentia*

*Tangen-*

Digitized by Google

*Tangendæ digitis poſthabeat chely?*
*Aether iam reboet ſonis,*
*Auræ iam tenues vocibus aſſonent;*
*Et vos dulcia carmina*
*Muſæ doctiloquo fundite gutture.*
*Ariſquè intereà ſacris,*
*Indorum ſegetes impoſitæ micent;*
*Nè templis breue lilium*
*Deſit, neu violę, neu Paphię roſæ.*

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI & Reuerendiſsimi D. Matthæi Prioli S.R. E. Cardinalis. Albę Violę Comparatio.

## O D E. XXII.

N*Vtrit æterno Zephirus tepore*
*Ver vbi lætum, moderatur aura*
*Et leui facto rigui ſuſurro*
*Fluminis vnda,*
*Quà fouet lymphis ſpecioſus amnis,*
*Arua diſperſo miniantur oſtro*

*Ceſpitis,*

Ceſpitis, gratum uarijsquè ſemper
Floribus halant.
Roris hìc fulgent adamante Calthæ,
Diuites crinem niuei coloris,
Splendor in toto viridantis ſuo
Primus honoris.
Aemule ò Princeps animi nitore
Hiſce tu certas, cui roris ornat
Pectus hyberni decor, & liguſtra
Roſida pingunt.
Tu decus Romæ, decus enitentum
Collium pictis violis, roſisquè;
Te canet quisquis, recolet tuumquè
Nomen in æuum.

# IN LAVDEM EIVSDEM

## Roſæ rubeæ, & candidæ Comparatio.

### ODE XXIIII.

LAſciuit virides inter odoribus
Ludens Cypria baccas.
Oſtentatquè roſæ purpureum decus;
Quæ ditiſſima flammis
Ignitas aperit mane nouo comas.

Cui

Cui ſi lilia circum,
Albæ vel violę, vel niueę roſę
Verno addantur honore,
Qui fulget bicolor, quàm varius decor?
Non ſic ridet Olympus,
Fixis ſyderibus mille vel emicet.
Sed quidnì Inclyte Princeps
Canę dixero, rubręque decus tuum
Par ſplendere roſę. Ecce
Conchylis Tyrio murice purpura
Crines tingit, & artus;
Oſtro tincta roſa es. ſic iaculas faces.
Fulgent intima cordis
Et lactis referunt nectara; candida es.
O quæ copia honoris.

De

Digitized by Google

# DE RVRE TVSCVLANO ILLVSTRISSIMI & Reuerendiſsimi D. Petri Aldobrandini Rauennę Archiepiſcopi & S. R. E. Cardinalis.

## ODE XXIIII.

*RVris Quiritum gloria Tuſculi*
*Collapſa fœtu purpureo nemus,*
*Et frondium comis odora*
*Exuerat decus omne ſylua.*
*Florere nuſquam prę ſenio loca,*
*Nec ire claris vnda liquoribus,*
*Pomona nullis, Flora paucis*
*Vere nouo grauidare gemmis.*
*Et quę noueno ceſpite cœtui*
*Amica ſedes hoſpitio fuit,*
*Triſti ſitu, ſquallore inerti*

*Pal-*

Digitized by Google

Palluerat uiduata fronde.
Hinc Nimphę, amænum propter eburneo
Student choreis quę Tyberim pede
Cito, dolebant, languidequè
Tybris agebat aquas. Edaci
Sic dente tempus triuerat omnia,
Poſses reperto quęrere Tuſculo,
Ut hoſpes ignarus reperti,
Ruris opes vbi Tuſculani?
Hanc ſiuit Heros ſed ſpeciem diu
Non ire PETRVS, Gloria Pręſulum,
Laus Vrbis oſtro purpuratę,
Sanguineique peplo Senatus.
Hic terſit olli cum ſenio ſitum,
Cultu priores & nemori dedit
Vultus; virere & iuſſit arua,
Luxuriare comiſquè ſyluas.
Hic fecit undas currere uitreas,
Et duxit vna non latices via,
Pellucidi campis recenſquè hoc
Auſpice proſiluere fontes.
Polita plusquam Phidiacę manus
Hic ſigna circum rexit, imagines
Artis laboratę, & tabellas
Diſſimili uarias colore.
Iure ergò fontes, & gelidum nemus,
Plectroquè Muſę Principis efferunt
Ad aſtra nomen celſa, PETRVM

Atque

*Atque docent reſonare ſyluas.*

# AD PERILLVSTREM D. Ioannem Baptiſtam Marinum Equitem, & Poetam Egregium.

## O D E. XXV.

*O Qui Dearum, quæ nemus arduum*
*Florentis Hæmi purpureum tenent,*
*Aſſuetæ ouanti verberare*
*Voce, cauos fidibusuè montes,*
*MARINE ad umbras aſſore dulcibus*
*Soles choreis, tu quoque barbiton*
*Pulſare Lesboum potens, &*
*Saxa ſonante ciere plectro.*
*Quis non Alumnum credat Apollinis,*
*Sacro rigatum Caſtalidum vado?*
*Amica quem Pubes decentum*
*Crine vago Charitum coronat.*
*Cuius labellis profluit aureo*
*Liquore flumen, Mercurialibus*
*Viris leporum vim profundens*
*Gurgite nobilioris vndæ.*
*Naſcentis ortus ſcilicet alitum*

*Faui-*

*Fauiſluarum crediderim vagum*
*Gregem aduolaſſe, & mollicellis*
*Dulcia mella labris locaſſe.*

*MARINIANÆ tanta ſuauitas*
*Linguę eſt, Sabæis æmula balſamis,*
*Tam mira non impar ſuperbo*
*Muſa ſonat Calabro cothurno.*

*Quin ergò Vatum mille ſuper Choros*
*Curru reſidas editus aureo,*
*Daphne laboratam perenni*
*Celſo Helicone gerens corollam?*

*Quin grata nomen perſonet ærea*
*Ætas tuba, famamquè ſuperſtitem*
*Aura Fauonij blandiore*
*Deuehat Heſperijs, & Indis?*

*At herclè vaſtam ſe volucri Noto*
*Olim per Aethram ſuſtulit ocyor,*
*Alisquè pictis ipſa Fama*
*Auſonias volitat per Vrbes.*



Digitized by Google

## CHRISTOPHORI FINOTTI

## IN NVPTIIS

# CLARISSIMORVM
# Virorum Matthei Georgij, & N. Maurocenæ.

## ODE XXVI.

*Recens Amantum Copia nectitur*
*Thoro iugali. Huc Aonio è iugo,*
*Quà Tethyos Gens Adrianæ*
*Iura facit Domina, ò Camœnę.*
*Connubiorum ſacra celebrium*
*Adite cincto tempore gaudia*
*Lauroquè, collectaquè myrto,*
*Ac violis olido capillo.*
*Caſtaſquè ſponſi dum ſubit inclyti*
*Tędas, decoro ſplendida murice,*
*Gemmiſquè, & auro prętenitentes*
*Fuſa comas ſpecioſa Virgo,*
*Vltro, citroquè, eſt mos vt Amantium,*
*Pudica labris oſcula commeant,*
*Amoris inſignes notæ. Vos*
*Vos agè plectra ſonora dextris*
*Pulſate, blandam tendite barbiton,*
*Sonoſquè dulces edite fiſtula;*

Et mu-

Et mutuis Terram choreis
Candidulo pede verberate.
Faces decoras exeret interim
Lucina Cœlo, ſydera & aurea,
Quę prouehant Prolem beatam, &
In ſeriem Geniti Nepotes.

# DE PVLCHRITVDINE ac venuſtate B. Virginis Triumphantis. Auroræ, Lunæ, ac Solis Comparatio.

## ODE XXVII.

SVrge, quid ceſſas, rediuiua Coelō
Aureo in cultu Dea, Prępotētis
Numinis ſponſa, ęquę tuo lepore
Concipe flammas.
Surge Coeleſti radiata crine
Viuidę circum facis, erubente
Fuſa ſplendoris minioquè Iberi
Iam Dea ſurge.



Digitized by Google

*Qualis Eoo croceis ab ortu*
*Fulget Aurorę decor è quadrigis,*
*Et genas ridet madefacta rore*
*Mane recenti.*

*Qualis è curru tremulo comata*
*Aureis aſtris, rutilante loro*
*Prępetes oris equites in altis*
*Luna flagellat.*

*Qualis exardet miniatus oſtro,*
*Igneo & bigas celeres colore,*
*Ætheris tractus roſeoſquè Phoebus*
*Luce colorat.*

*Surge ſic Virgo, Dea ſurge Cælo.*
*Surge, complexus pete ſic Amantis;*
*Dulcia ęterno lege dulcis ore*
*Baſia, ſurge.*

## EIVSDEM ARGVMENTI.

## ODE. XXVIII.

*Nec tantum rutilis aquis Hydaſpes*
*Fulget, gemmiferos ferit liquores*
*Cum Titan radio micantiori;*
*Nec ſic auriferi relucet vnda*
*Baccis picta Tagi, fluentis auro*
*Pactoliuè latex, nitentioris,*

Eſt ſi

Digitized by Google

*Eſt ſi quis, fluuij vel Orbe toto;*
*Quantum læta oculos, ſinum decora,*
*Perfuſa & minio genas Ibero,*
*Argento ſimul, & ſimul ligustro,*
*Penna dulciſoni ſimulquè Oloris,*
*Alto candidior niteſcis Axe*
*Cæli Diua. Iubar ſtupet Diana,*
*Lucentemquè comam, oſculum tuoquè*
*Ardet ferre pedi. Inuidet decori*
*Sol almus roſeo, tegitquè ſydus*
*Viſa te nitidum Oris; erubentes*
*Te Cælis obeunt faceſquè gyro.*
*Nimirum Dea tu Poli, Tonantis*
*Tu Virgo, Genitrix, Amica, Sponſa,*
*Tu Regina, decus beatiorum;*
*Cari & delitium, & faces amoris.*

# EADEM DE RE.

## O D E. XXVIIII.

*O Pulcherrima Virgo, belliorquè*
*Præ vultu roſeo omnibus Puellis:*
*Luce ò lucidior, lapillulisquè*
*Eois radiantior, coruſcis*
*Cæli lampadibus magis coruſca,*

Indę quę niueo decore dentem,
Phryxaeę pecudis comaquè vellus,
Et vincis Dea gemmeam mitellam,
Candorem ſuperas niuisquè pulchrum.
Sat Diua eſt oleo referta lampas,
Lampas ſacra tibi, facemquè lychnus
Expreſſit rutilam diu, igne caſto
Cor arſitquè tuum. En Dea, en Puella
Tempus ſurgere, ferre & obuiam te
Cœli delitias ad euocanti
Sponſo, ſydereos Poli triumphos.
Iam ſurge, en agè quę vocare, prodi:
Hìc nè necte moras. Amantis ora
Regis lęta pete, oſculumquè pacis.
Quod votiſquè diu precata Diua es,
Cum Nato ſuperis ouare in Oris
Inter delitias, dapeſquè Diuùm,
Dum ridet Charitum tibi Dearum
Sexus, Diua cape. En habes paratam
Cœleſtis Heliconij tenellam
Cultricem, famulam Deiquè Turbam.
Pennati-Iuuenes ruere ab Axe,
Regineąuè manent migrationem.
Ergò iam propera, moras refringe,
Cari blanditias ſubiquè Amantis.

An-

Digitized by Google

# ANTITHESIS B. Virginis, & Luciferi.

## ODE XXX.

*FVlgebat roſeo Lucifer Aethere*
*Princeps ſpirituum, clarior aureis*
*Aſtris, nobiliori Dominantium*
*Rex quem ſede locauerat.*
*Sed faſtu nimio dum caput erigit,*
*Cœli delitijs intumet, & bonis,*
*Ac Regale ſitit Numinis altius*
*Per grandes, heu, ſolium nefas;*
*Deiectus ſuperis illicet Orbibus,*
*Cum facto inferius truditur agmine,*
*Cunctis, diuitior quàm foret anteà,*
*Longè pauperior bonis.*
*Tu contrà ſtudio dum peramabili,*
*Nos inter tenues gloria delites*
*Cœtus Virginei Virgo, & in omnibus*
*Maior ſis licèt omnibus,*
*Pluris quàm reliquos te nihil eſtimas,*
*Cœleſti Charitum munere prędita,*
*Templum facta Dei, Numen Olympicum*
*Ventrem diſtrahis in tuum.*
*Nec vero ſatis eſt? Aethera ſydere*

*Pergis cincta caput, duceris aureo*
*Et curru. Reicit ſic tumidos Deus.*
*Tollit ſic humiles Deus.*

# IN DIE FESTO ASSVMPTIONIS B. Virginis.

## ODE. XXXI.

*Felix Virgineæ Curia Cælitum*
*Dũ ridet, noua pompa & Charitũ Deę*
*Quæ diſcriminat auras*
*Euecta hinc celeri pede,*
*Ardens & thalami perpetuis ſacra*
*Manſura innocui fędera ſæculis,*
*Sedem quærit Amantis,*
*Dilecta oris & oſcula,*
*Feſtiuo potius quid peragam die?*
*Quò mens erritet, ac dulcè ſonantia*
*Inter carmina, plectro*
*Dudum deſide quid feram?*
*Mirari lepidum deſine Cynthij,*
*At ſemper vacuum Calliope nemus,*
*Et quà ridet Olympus,*
*Hùc à littore Theſpio.*

*Audin'*

*Audin' quo ſtrepitu, qua reboent Poli,*
*Aether qua reſonet voce canentium?*
*Audin' plectra canora,*
*Quo cantu & litui crepent?*
*Hìc ſuaue excipies Aligerum melos,*
*Hìc dulces ſonitus aere plauſibus*
*Mixtos, perlepidiſquè*
*Coeleſti ingenio iocis.*
*Candenti ad numerum blandidulas pede*
*Ludentes choreas aſpicies choros.*
*Decertabitur arte*
*Coelo, ſi venies, pari.*
*Intentæ feries aurea eburneæ*
*Nam tu fila lyræ pectine dextero;*
*Hinc quàm dulcis abibit,*
*Et quàm flexanimis ſonus;*
*Eſt pollex agilis, docta tibi manus,*
*Et velox: comites vna prior Deas*
*Inter, cantibus æquis*
*Aſſueta harmoniis præes.*
*Vix tu plectra feris, conticet illicò*
*Muſa omnis, digitos hæc agiles, melos*
*Hæc, artemquè, ſonora*
*Gemmas obſtupet ac chelys.*
*Demirata Cohors laudibus afficit*
*Mox dignis, meritæ laureolam comæ*
*Et nectit viridanti*
*E caltha, violis, roſis.*

Tu ſic

Digitized by Google

Tu ſic Muſa canes. vox mea carmine
Ludet, dum dederis Calliope ſonos.
Vel ſit garrula, fiet
Iuncta commodior lyra.
Cœleſti dabitur ſic parili Deę
Concentus ſtudio ſymphonia, & melos;
Sic & carmen amanti
Gratum fecero Virgini.
Diuæ, quę ſuperas ſplendidior uias,
Prętterquè ętthercos greſſa Poli globos,
Cœleſtes adit Arces,
Diuorum additur & Choris.
Dum Cœlo niueis Pax volitat comam
Pennis ſuſa, genas candidior niue,
Et pompæ Orbe renato
Solis fax decus apparat.
Cum toto renitent vertice ſydera,
Voto lambere Ouantis niueos pedes,
Diuęquè obſequioſa
Cornu Cynthia deijcit.
Dum Cœli obuia Gens, Aligerum Chori,
Diuarumquè Cohors concinit, & modos
Edit, pompa triumphi
Cantu fitquè decentior;
Dum Tellus nitidis florea gemmulis,
Et ſertis roſeum ſubreſerans ſinum,
Calthis emicat inde,
Hinc vernat Cilici croco.

O felix

*O felix Dea, felicior ò Polo*
*Diuis, muneraquam mille beant, opum*
*Quam bis mille lepores,*
*Mille ac delitię beant.*
*Incedis Dea, Cæliquè potens plagas*
*Pennis euolitas. ſed tibi fauſtior,*
*Et iam lęta triumpho,*
*Nobis eſto ſecundior.*

## DE TRIVMPHO B. VIRGINIS.

## ODE XXXII.

*QVę tanta linguæ prodiga flumina,*
*Et uena diues Męonij ſenis,*
*Fas ut ſit intactę triumphum*
*Virginis Axe ſequi Camœna:*
*Vbi recincto uellere candido*
*Vitę, artubus flammamquè cientibus*
*Per colla comptum effuſa crinem,*
*Ardua pręteriit Polorum?*
*Palla coruſcans aurea, & inſitis*
*Gemmis decora, ſuauis odoribus,*
*Fragrantiam thuris Sabæam*
*Læta genas gremio uaporans?*
*Sonare quæuis carmine amabili,*
*Pars buccina raucùm ſtrepere aurea;*

Pars

*Pars tibia, concentibuſquè;*
*Parſquè Chely Odryſiæ ſtudere.*
*Hiſe obuiam Cælo faciunt Deæ,*
*Stipare gaudent ijs latus. Vndique*
*Coeleſtium Turbæ Dearum aſ-*
*Surgitur Aethereæ Parenti.*
*Conuertit ore ad ſe roſeo omnium*
*Virgo ora. Inardeſcit pia ſydere*
*Diuùm Cohors, ponit genuquè*
*Obſequioſa Deæ futura.*

# IN LAVDEM B. M. VIRGINIS.

## ODE. XXXIII.

*HIc quiſquis obtices, cane, & felicior*
*Hic feſtus euolet dies. (domo,*
*Nubes nec Aetheris malę ingruant*
*Mentes nec adſint turbidæ;*
*Suauem Amantis quo Dea appetit Dei*
*Regis thorum, inter & uagas*
*Diuùm Phalanges, obterens eburneo*
*Pede aureas beat faces.*
*Vis luce ſacra ſæuioris Africi*
*Ponat, furentis & minæ*
*Cori ſileſcant. Aeole hos antris preme.*
*Flabro leuis Fauonij*

Adſpiret

Digitized by Google

*Adſpiret aura leniori, marmora*
*Nec murmure irato ſonent.*
*Compeſce cærulas Tridente præpotens,*
*Qui præſides aquis, aquas;*
*Nexuquè nectant, nulla quem ſcindat dies,*
*Se prima rerum ſemina.*
*Tranquilla ſint queis. Iubet Parens, ſolum*
*Qui temperat nutu Deus,*
*Cęlique ſedes. ò mihi præſentior*
*Sis Gratia, ò comes Deæ*
*Et fida laudandæ; comes Palantias*
*Ades diei nuncia.*
*Igniſquè præferat Cytheridis faces.*
*Tu cincte amictu ſerico,*
*Rubensquè picto gemmeis monilibus*
*Oſtro Sacerdos concine,*
*Feſtiua ſacris ora ſoluendo modis;*
*Et accinens circùm bona*
*Det verba lætior canentium chorus.*
*Quod interim licet, ſacris*
*Honorem Ouantis proſequar nam vocibus,*
*Diuæ trophæa carmine*
*Atque efferam caſto. Anſer vt ſic obſtrepat*
*Inter canoros Alites,*
*Interquè dulces Iſmari cornix Aues.*
*Naſcente te Virgo ſolo,*
*Vt cuncta maius nil tulere ſęcula,*
*Nil lætius, nil dulcius;*

*Nam*

Digitized by Google

Nam quo die orta es, fulſit Orbi candida
  Lux, è tenebris triſtibus
Emerſit ac Tellus; ſecreta pandier
  Cæpere tum Dei, fides
Et eſſe Vatum certior; paſſa Aetheris,
  Fores fuere, limina
Cæliquè; Olympi libera, & facta eſt via.
  Tranante ſphæras ſic Dea
Te ſyderum, motuquè præditos globos,
  Flammis coruſcos aureis,
Habet nihilquè gratius, totuſquè habet
  Orbis nihil iucundius.
Et quando Regis Aetheris thoro Dei
  Amica ſponſa iungeris.
Sertiſquè crinem purpurata: gemmeis
  Donare, torque & aureo,
Te laudat, & Diuæ canit per ſæcula.
  Nomen vigebit, gloria
Aeternæ eritquè laudis. O Diuùm decor
  Salueto, Cælitum ò Amor,
Quæ Virgo feſſis es quies, ſalus reis,
  Dolentibus ſolatium.
Per te precor, quæ orantibus præſtas opem,
  Ades; quietem ſupplici
Largire Pubi, & imminenti turbine
  Mentes tibi extorque ſacras.

AD

Digitized by Google

# AD B. VIRGINEM in Cœlos euectam.

## ODE. XXXIIII.

QVò ſpes Euigenarum, vnica quò ſalus,
Et noſtræ columen gentis oberritas?
Luna ò lucidior cur celeres Polo
Virgo conglomeras gradus?
An me ſic medijs fluctibus inſcium
Eduxiſſe ratem? ſiccine deſeris
Mater Diua rudem, Diua benignior,
Auræ quàm Zephyri ſolent?
Olim cùm iubar ardeſceret aureum
Flammis propitium, præuia fax, tuum,
Aequata horriſoni cymba per æquoris
Felix tranſilijt freta.
Non Aether nigruit turbine, nec fuit
Coro hoſtis Zephyrus, nec Boreæ Notus;
Pacem compoſito fœdere iunxerant;
Ibant omnia proſperè.
Nunc ſortes alię, diſpice, ab Aethere
Obductis tenebris ingruit horrifer
Nymbus te fugiente, ac tumidis aquis
Turbatur ſinus æquoris.

Pugna-

*Pugnaces ineunt prælia flatibus*
*Sæuis Aeolides, ac violentius*
*Ictum vi pelagus perſonat Africi,*
*Et Thracis Boreæ manu.*
*Ecquid perfugij iam fuerit mihi?*
*Ecquis reddet opem? tu Dea vel Polo*
*Inferre Aethereo, ceu iubar emica*
*Pulchellis facibus ſolo.*

# AD COELESTES ANGELORVM Spiritus in Aſſumptione B.M.V.

## ODE XXXV.

*VErticem primò nitidis ab æuo*
*Quæ Phalanx Oræ facibus decora*
*Accolis, Cęlo fruitura in æuum*
*Copia felix.*
*Hùc comam verno redimita flore,*
*Et genas picti minio leporis,*
*Hùc pedes ſocco Tyrio reuincta*
*Labere pennis.*
*Aeris tractus roſeos aperti*

*Sparge*

Digitized by Google

*Sparge narciſſo, uiolis, anetho,*
*Adde ſed calthas, varijs ut Aether*
*Floribus halet.*
*Quin' & æternis modulis canora*
*Barbitos tenſis fidibús per Axem*
*Dic melos, toto reſonent ut alta*
*Carmina Cælo.*
*Pexa nam crinem, miniata frontem,*
*Alma diuino Charitum lepore*
*Aſtra per Virgo geminat citatos*
*Aurea greſſus.*
*Huic decet plectro modulante carmen,*
*Et cani laudes, decet & Polorum*
*Huic viam ſterni uiolis, olenti*
*Floreque pingi.*
*Excipe en Diuam, ſed abire Coelo*
*In ſinum Patris niueam Columbam*
*Mitte, ſic Ora ſuperum potita*
*Dulcè quieſcet.*

# AD B. VIRGINEM ex illo Cant. 7.

*QVAM PVLCHRI SVNT greſſus tui in calceamentis Filia Principis.*

## ODE. XXXVI.

*HEm prima Cœlis Ocyus veſtigia*
*Emolientem Regis Aetheris Dei*
*Diuam Puellulam, nitentibus noua*
*De veſte gemmis, & coma flauētib.*
*Picta decentius notis. Mecum optimæ*
*Spectate Diuæ; vnà tuemini decus*
*Diuûm Puellulæ Chori. Vt pulcherrima*
*Incedit ore humentibus recens roſis?*
*Vt prodit incito pede? Vt tenellula*
*Euibrat aureis faces potentior*
*Genis? vt Alma greſſibus venit ſuis?*
*Hæc Nata Summi Regis, Axe Principis*
*Beanda Cœlitum thoro. Diuinius*
*Germen, decora Virgo, nobiliſſima*



Digitized by Google

*Puella; nullam cui parem fecit Deus,*
*Nihil ſecundum, cui nihil fecit prius.*
*Salue bis vna, ter, quaterquè, centies,*
*Et millies, rurſusquè centies ſemel,*
*Dehinc millies; futura Cęlis omnium*
*Amor, voluptas, gaudium, ſplendor, decus.*

# AD
# B. VIRGINEM
## ex illo Cant. 4.

*VULNERASTI COR*
*meum in vno oculorum tuorum,*
*& in vno crine colli tui.*

## O D E. XXXVII.

*Amantis ò Amans Dea,*
*O vna Amoris Corculum,*
*O Diua, mille quam beant*
*Opes potentis Aetheris.*
*Cui tota Cęli Curia,*
*Diuaquè militant faces;*
*Cui ridet Axis concolor,*
*Cui Terra perfulget roſis.*



Digitized by Google

In me, lepos amabilis
  Sat tela iecisti Dea.
  Me uulneraſti, ſaucia
  Languent amore pectora.
Cor ardet, ictu uiſcera
  Ocellus et ferit mea,
  Mens aurea arcetur coma,
  Amore totus langueo.
Heu ſiſte flammas aurea
  Virgo, retorta ſubtrahe
  Heu tela, Amoris ò Dea.
  Vror ſatis, ſatis te amo.
Age huc meum te proripe
  Diua in ſinum: leporibus
  Fruere Amantis, oſcula
  Cupita dudum colliges.

# AD BEATAM VIRGINEM ex illis Cant. 2. verbis. Surge, propera amica mea, formoſa mea, & veni.

## ODE. XXXVIII.

*MEa ò Amica, Nata, Mater, & Polò*
*Futura Sponſa ſurge, quid moraris?*
*Procul iuuat, Columba delicatior*
*Liquore mellis, & ſuauior mihi*
*Fluente rore nectaris? Parentibus*
*Habendus eſt honos? habebo Filiæ,*
*Habebo Matri, habebo Sponſæ. O unica*
*Veni: cupreſſina parantur Aedium*
*Trabe alta tecta, lectuli micans decor*
*Futurus aurei; fruere cedrino*
*Thoroquè Amantis, altior decentibus*
*Notiſquè eburneo ſedebis in throno.*
*Comaſquè ſplendidis corona ſtellulis*
*Retexta cinget. Hæc tuis laboribus*
*Rependet ardor; hæc benè expetis Dea.*
*O ore pulchra, mente pulchrior tamen.*

*O omnibus venuſtior Puellulis,*
*O omnis vna in Orbe labis inſcia.*
*Veni, aduola; quid amplius facis moras?*
*Veni, igne veſtiere Solis aureo;*
*Veheris illicò ſuperquè Cælitum*
*Choros. Veni. effera en hyems ſilet; niues*
*Et Aetheris liquat tepor, virentibus*
*Comata ridet arbor alta frondibus;*
*Roſiſquè creſcit vndique excitis odor.*
*Mea ò Amica, Sponſa, Mater en veni.*

# IN LAVDEM D. CHRISTOPHORI Martyris. Roſæ comparatio.

## ODE XXXVIIII.

*QVàm Diue certas par in omnibus roſæ;*
*Et florcum ludis decus. Rubentibus*
*Roſa emicat comis, cruoris Cypria*
*Quas purpurauit imbre defluo Venus,*
*Vbi vepretis aureos læſit pedes.*
*Tu veſte cingeris, rubore quæ æmula*
*Contendit oſtro. Tinxit ab tuus cruor.*
*Calthas odore luteas præit roſa,*

*Hinc*

*Hinc grata amantibus; Cupido tempora*
*Hinc vincta fert roſis. Odore Caelites*
*Sic tu inter emines amicior Deo.*
*Illa eſt Hymetti, Hyblæquè, tu Coeli decus:*
*Quid plura? roris imbre paſcitur roſa?*
*Sic ardet, igneas & explicat comas.*
*Tu rore Dio paſceris, ſic æſtuas.*
*Quàm Diue certas par in omnibus Roſæ.*

# IN DIEM PVRIFICATIONIS B. Virginis.

## O D E. XXXX.

*ABeſte triſtes hinc querimoniæ,*
*Et cæca, fletus, vulnera mentium,*
*Grauesquè curarum procellæ.*
*Hinc dolor, & metus exulate.*
*Dudumquè Clio flebilibus ſuper*
*Oeagrio quæ Pindo elegis ſtudes,*
*Inhoſpiti Arctoo gelu Hæmi*
*Siue iugis, ſine triſte plectrum*
*Pulſare, inertes ſcribere næniàs*
*Molliquè verſu, vel Tragicâ ſequi*
*Chely querelas. Tempus vrget*
*Dulcem alijs Helicona muſis*

Luſtrare, lætis eſſequè mentibus.
Feſtiua lux eſt, hanc fidibus nouis,
Hanc Lesbio ſacrare plectro
Tequè, tuaſquè decet ſorores.
Suſpenſa nè hære, dic agè, dic melos
Prædulce Clio, carmine Coelitum
Sacraſquè Regem Templi ad aras
Obſequioſa Deo recentem
Deduc, Iugalis neſcia coniugis
Puella Virgo quem dedit oſculis
Decentior cultuquè mentis
Flore comam niueo liguſtri.
Cui prima rerum foedere ſemina
Facto, diei cui iubar aureum,
Coelumquè naſcenti benignis
Syderibus, placidaquè fronte
Riſere. plauſus inter amabiles
Pennata ſalue cui cecinit Cohors,
Et lapſa Coelo egit choreas
Aethereo famulata Regi.
Cui picta preſto eſt Terra recentibus
Gemmis, & omni germine floſculis,
Cui ſtellulis Aether rubeſcit,
Et Cythereidos unda conchis.
Rotare Coelos qui celeres facit
Potente nutu, millequè ſydera
Ciere flammas, diuidiquè
Tempora nocte nigra, diequè.

*Hic ipſe verò Virgine ſiſtitur*
*A Matre Templis, Numine qui Deus*
*Eſt, mollis infans uagienti*
*Ore licèt, lachrymiſuè. Cernin'*
*Vlnis Sacerdos canitie ſenex,*
*Caſtęq; vitę, mentis & integer,*
*Vt accipit vultu tenellum*
*Lætitiam lachrymante? ſentin'*
*Senili vt effert voce propaginem*
*Sanctam Dei? laudem intonat, & choros,*
*Clara inter oeſtro præpotenti*
*Percitus euehitur Poli aſtra?*
*Effoeta vitæ vincula ſoluier*
*Vt clamet hauſtu nectareo ſatur,*
*Dulce emori viſo ſibiquè*
*Fonte Deo placidæ ſalutis?*
*Hæc inter ergò pectine canticis*
*Stude ſonoris, Leſbiacum feri*
*Et Muſa plectrum. Perſonentquè*
*Aethere geſta, Deiquè laudes.*

# Odarum finis.



Digitized by Google

# CHRISTOPHORI FINOTTI VENETI Diſtichorum.

## *Liber Secundus.*

## AD B. VIRGINEM de triplici eius Dignitate.

### PRIMVM.

*Nata, Parens, Sponſa, illuces, populare, potiris,*
*Terris, Orbe, Polo, dotibus, igne, Deo.*

### DE B. V. INTEGRITATE. II.

*Seu pareris, ſeu Diua paris, ſine crimine; culpa*
*Nataquè de ſterili, Virgo Parenſquè cares.*

### DE B. V. NATIVITATE. III.

*Gemma latet, dũ Virgo lates. Te iam exere; & Orbi*
*Clarior aſtrorum luce Pyropus eris.*

DE

Digitized by Google

## DE EADEM NATIVITATÈ. IV.

*Virgo iaces, dum ventre iaces, iacet Orbis & unà.*
*Surge agè, conſurgunt omnia, torpor abit.*

## DE S. ANNÆ, ET B. Virginis partu. V.

*Anna Parens felix partu, felicior Anna*
*Virgo eſt. illa Deam parturit, iſta Deum.*

## IN CHRISTI NATALI Die. VI.

*Matris Virgineæ Deus: infans editur aluo.*
*Eſte hilares Populi, ſæcla beata fluent.*

## ALIVD. VII.

*Virginis è caſta prodit Rex Aetheris aluo.*
*Fidite Mortales, aurea ſæcla vehet.*

## ALIVD. VIII.

*Vno quanta die fiunt miracula in Orbe.*
*Numen homo, Virgo Mater, homoque Deus.*

De

## DE SANCTIS Martyribus. IX.

Qu  t  c  fr  l  t
os elum ui it, audeſq; do uſq; eorum
H  Co  d  l  m  D

## IN OBITV HENRICI Quarti Gallorum Regis Chriſtianiſſimi. X.

*Occidit Henricus. crudelia fata. Quid Orbis*
*Iam duret? periit Iuppiter. ergò cadet.*

## AD PAVLVM QVINTVM Pont. Max. XI.

*Pauli nomen habes, præſtas & munia Petri,*
*Pauli pone minas, limina pande Petri.*

## SERENISSIMI PRINCIPIS Venetiarum Marini Grimani Epitaphium. XII.

*Inuide cur hoſpes poſitam mihi congemis vrnam?*
*Hic mihi non tumulus, deſine, ſed thalamus.*

ALIVD

Digitized by Google

## ALIVD. XIII.

*Grimani hic, hoſpes, tumulus. nè ſingula: dixi*
*Grimanum dicens omnia. doctus abis.*

## ALIVD. XIV.

*Quis iacet hoc tumulo? fas de quo dicere ſolo eſt,*
*Et Venetæ Princeps, & Pater Vrbis erat.*

## ALIVD. XV.

*Grimani hæc vrna eſt; dixi, nè coetera quære.*
*Sin quæris, tecum concipe, fama volat.*

## AD ILLVSTRISSIMVM D. Auguſtinum Amulium Veronę Prætorem Digniſſimum in eius diſceſſu. XVI.

*Adria te quondam miſit, nunc eccè repoſcit.*
*Ito libens, teneat dignior Ora Ducem.*

## ALIVD AD VRBEM Veronæ. XVII.

*Prætor abit Verona tuus; fera nuncia; clarum*
*Lumen abit; quid ſi dixero, Phoebus abit?*

ALIVD.

Digitized by Google

## ALIVD. XVIII.

*Luge Athesis, Verona dole viduata Parente;*
*Heu abit ille, tua & gloria, pax & abit.*

## ALIVD. XIX.

*Palladium ſublatum eſt ò Verona: deinceps*
*Spes nulla omnino, aut parua ſalutis erit.*

## IN ORTV FERDINANDI Principis Magni Ducis Hetruriæ Filij. XX.

*Grates, thura, hymnos, Puero, Genitrice, Parente,*
*Soſpite, ſalua, Orto, concine, adure, refer.*

## ALIVD AD FLORENTIÆ Vrbem. XXI.

*Flores Floridulo Florens Florentia Flòre;*
*Floraquè Florentis Florida Floris erit.*

## ALIVD. XXII.

*Naſcenti Puero date lilia, thura cremate;*
*Aurea felices nunciat Alba dies.*

ALIVD.

Digitized by Google

ALIVD. XXIII.

*Quid Cęlo inuideas fama ò Florentia maior?*
*Sole recens orto tu quoquè Olympus eris.*

ALIVD. XXIV.

*Lætare ò felix partu Florentia, Magna*
*Ciuibus, & Magna es Principe, Magna Duce.*

ALIVD. XXV.

*Adſpirant ſuperi Medices accreſcere Prolem.*
*Gratior eſt aliјs ſcilicet vna Deo.*

ALIVD. XXVI.

*Prodiјt ex aluo Matris Ferdnandus, & Orbi*
*Sydus adeſt. quid ſi dixero, Phoebus adeſt?*

ALIVD. XXVII.

*Læta Puerperio Tellus Hetruſca triumphat,*
*Et quaſi mane nouum Solis honorat amans.*

ALIVD. XXVIII.

*Nuncius hem felix Florentia, Principis ortus:*
*Aurea Triſſæclis ſæcla rogato ſenis.*

ALIVD.

Digitized by Google

## ALIVD EX PSALMO.
## Domini ſunt Cardines Terræ. XXIX.

*Terræ Cardo recens oreris Ferdnande. Quid? alter*
*Orbis totius naſcere Magnus Atlas.*

## ALIVD. XXX.

*Cernuus ad cunas propera Naſcentis, & ortu*
*Si libet, ex ipſo diſcito, quantus erit.*

## AD CLEMENTEM OCTAVVM Pont. Max. in reſtauratione Templi S. Cœſarij XXXI.

*Munera ſi munus repetit, pro munere Clemens,*
*Aedis Coeſarius quid tibi donat? amat.*

## ALIVD. XXXII.

*Cœſario tu Templa facis, tibi fecerit alter.*
*Quæ pia ſic dederis, mutua dona feres.*

De

Digitized by Google

## DE TEMPLO S. COESARII Romæ. XXXIII.

*Aedes Cæſarij, pridem ſed Cæſaris Aedes;*
*Principe ſæua olim, Principe nunc facilis.*

## ALIVD. XXXIV.

*O quæ Templa? licet ſuperis ſi linquere Cælum,*
*Mittet Cæſarius ſydera, Templa petet.*

## DE EODEM AD VRBEM Romam. XXXV.

*Sydera ſi Cælum faciunt, Roma inſpice Cælum,*
*Hæc tibi milleno ſydere Templa micant.*

## DE EODEM, EIVSQVE Titulari Silueſtro Aldobrandino S. R. E. Cardinale. XXXVI.

*Aedis opus ſpectas? Diuinũ eſt. Numina quæris?*
*Credita Silueſtro, dedita Cæſario.*

## DE EODEM TEMPLO XXXVII.

*Quid Cælo inuideas Aedes? eſt Phoebus utrique,*
*Aurea tecta, decor fornicis, aſtra, Deus.*



Digitized by Google

CHRISTOPHORI FINOTTI

## AD ILLVSTRISSIMVM & Reuerendiſſimum D. Siluestrum Aldobrandinum S. R. E. Cardinalem Tituli S. Cœſarij. XXXVIII.

*Sylua facit nomē, grāde eſt; pende omina Princeps,*
*Auſpice Cęſario, Sylua, decoris eris.*

## AD EVNDEM. XXXIX.

*Nomine Syluester, factus es Cęſar. honoris*
*Credita Cœſarij ſic bene cura tibi.*

## AD EVNDEM. XL.

*Cęſario ſacra Templa regis; quæ ſymbola? geſtis*
*Cęſar ut es Terris, Aethere Cęſar eris.*

## AD EVNDEM XLI.

*Viſe Aedes, & funde preces, ſpes optima Princeps;*
*Cœſario facili dexter Olympus erit.*

## ALIVD. XLII.

*Aris Præſes adeſt, repetit quas Principis oſtrum:*
*Cęſarij Numen, Cęſaris hoc opus eſt.*

AD

Digitized by Google

DISTICHA

AD ILLVSTRISSIMVM Patauij Prætorem Marcum Bragadenum. XLIII.

*Si digna expectes uirtutum præmia Marce,*
*Adriaci Princeps, auguror, Orbis eris.*

ALIVD ÆNIGMATICVM. XLIV.

*Dimidium Lunæ, Sphera integra, primaq; Romæ*
*Littera, Prætori pignora amoris erunt.*

In Laudem

ILLVSTRISSIMI D. Vincentij Piſani Taruiſij Prætoris Digniſſimi. XLV.

*Lætitiæ praſerte notas Pretore recenti,*
*Scilicet hoc nobis ſæcla beata fluent.*

ALIVD. XLVI.

*Feſtiua decurre Silis pellucidus unda,*
*Nunc quia læta nouo Præſide cuncta fluunt.*

## ALIVD. XLVII.

*Ingreſſus felix, felicia tempora ſpondet,*
*Prima ſerenatos Solis vt hora dies.*

## ALIVD. XLVIII.

*Et Pater, & Prætor Gentis Vincentius; ergò*
*Iudicis ora time, corda Parentis ama.*

## EPITAPHIVM CVIVSDAM Rhetoris & Hiſtorici. XLIX.

*Græcia me genuit, Veneti rapuere, tenet nunc*
*Parthenope. vixi Rhetor, & Hiſtoricus.*

## FRANCISCI MARIÆ. Roſati Epitaphium. L.

*Obiice quem facto tumulet breuis vrnula, quæris?*
*Scribe hoſpes, Roſa, Thus adde, Roſatus erit.*

## ALIVD. LI.

*Quid iacet in tumulo? rerum ſine imagine nomen*
*Namq; Roſa abſque roſa, Thus ſine thure iacet.*

IN

In Laudem

ILLVSTRISSIMI D.
Thomæ Contareni Comitis Ioppe, & Prætoris Patauij, in eius diſceſſu LII.

*Sol abit è noſtro Patauì Gens Inclyta Coelo.*
*Quid ſperes? tenebras deficiente die.*

ALIVD. LIII.

*Redde abeunti, digna Heroum præmia, grates:*
*Grates ſi nequeas, debita pendat amor.*

ALIVD. LIV.

*Altius euolitat Thomas ad culmen honorum,*
*Qui magnus nuncque eſt, illicò Summus erit.*

ALIVD. LV.

*Aeternæ Volucri ſæclum Gens æmula duces;*
*Auſpicio Thomæ nitere, tuta viges.*

HONORES MVTANT Mores. LVI.

*Induit in mores alios, qui veſtit honores:*
*Nil magis eſt varium, nil variatque magis.*

## ALIVD. LVII.

*Non mutatus honor morem ſeruabit eundem;*
*Mutato, facies altera moris erit.*

## IN OBITV ADOLESCENTIS optimi Franciſci Michaelis. LVIII.

*Hic Franciſce cadis, Cœlo tibi vita ſuperſtes;*
*Et moreris viuens, viuis & emoriens.*

## ALIVD. LIX.

*Non benè Parca tibi ſunt indita nomina Parca.*
*Parca niſi es Puero, iam neque Parca ſeni.*

## FORTVNAE FELICITAS. LX.

*Sceptra, & opes Nemeſis dextra donãte profundit.*
*Si tamen heu libeat, mox maleſida rapit.*

## FORTVNAE ADVERSITAS. LXI.

*Heu afflare negat. quid ſi velit improba? Reges*
*Deijciet, miſeros & ſuper aſtra vehet.*

DE

Digitized by Google

## DE COECO, ET CLAVDO. LXII.

*Ducitur, & ducit, pedibuſque, oculiſque viciſſim;*
*Et caret hic oculis, & caret ille pede.*

## ALIVD. LXIII.

*Quis ducet, Cæcus ſi geſtet itinere Claudum?*
*Ambo pares, oculis ducet hic, ille pede.*

## In Nuptijs CLARISSIMORVM Virorum Bertucij Valerij, & Benedicti Piſani Diſtichon retrogradum. LXIV.

*Hymen edat Amor, par ſic applaudere Sponſa.*
*Sponſa applaudere ſic par, Amor edat Hymen.*

## In Laudem AVCTORIS, CVM IN Aede D. Marci Venetiarum coram Senatu, & Principe concionem haberet N. N. LXV.

*Audin' quiſquis ades, Diuini carmen Oloris?*
*Cœli Ales plena eſt Virgine, plena Deo.*

ALIVD. LXVI.

*Quid Cælo inuideas Diuûm ſolatia, cantus?*
*Nuſquam quale ſonet, carmen Oloris habes.*

ALIVD. LXVII.

*Ecquis Olor Veneti? proh dulcia carmina. Cęli eſt,*
*Ni Gabriel, Ales non Gabriele minor.*

ALIVD. LXVIII.

*Enſis qui ſonitus, belli quæ murmura Ciues?*
*Nuncius è Cęlo, ſiſtite, pacis adeſt.*

ALIVD EX IIS CANTICORVM verbis. Mel, & Lac ſub lingua tua. LXIX.

*Quis te candidior, nam quis te dulcior? ore*
*Mella locas, roris nectara, lactis ebur.*

ALIVD EX IIS VERBIS. FAVVS diſtillans labia tua. LXX.

*Dulcia quin pleno legitis ſtillantia cornu*
*Nectara? adeſte, fauis labra beata fluunt.*

ALIVD

Digitized by Google

ALIVD EX ILLIVS ſtemmate, in quo pictum eſt cor. LXXI.

*Cor vitæ melior pars eſt Finotte, & in Orbe*
*Te melior, viſum dicere, nullus erit.*

IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI, & Reuerendiſſimi D. Franciſci Vendrameni S. R. E. Cardinalis, & Venetiarum Patriarchæ Digniſſimi. LXXII.

*Quid Venetæ paueas Vrbis Grex ora Ferarum?*
*Paſtoris voces excipe, tutus eris.*

ALIVD. LXXIII.

*Viſe aras, & funde preces; te Præſule miris*
*Aether obſequijs in tua vota fluet.*

ALIVD. LXXIV.

*Fige pedē. Petri Templū eſt; quę hęc omina Præ-(ſul?*
*Te forſan Petri ſede locabit honos.*



Digitized by Google

ALIVD. LXXV.

*Quid mirum tantis affulgeat ignibus Aedes?*
*Præſul adeſt. Quid ſi dixero, Phœbus adeſt?*

ALIVD. LXXVI.

*Moles Atlantis glorioſus eſt labor.*
*At fide Præſul, glorioſior tuus.*

ALIVD. LXXVII.

*Præſul ades, ſacris fument altaria donis,*
*Te libante fluent aurea ſæcla Gregi.*

ALIVD. LXXVIII.

*Creditur hoc Templum, Venetæ tibi creditur Oræ*
*Cura; opus eſt magnum, gloria maior erit.*

ALIVD. LXXIX.

*Nuncius hem felix Veneti, bonus intrat ad aras*
*Pręſul; Triſſæclis ſæcla rogate ſenis.*

ALIVD. LXXX.

*Sufficiet puros hauſtus, & montibus altis*
*Innocuo paſcet gramine Paſtor oues.*

ALIVD

Digitized by Google

## ALIVD. LXXXI.

*Hinc procul inſanam rabiem prohibento luporum;*
*Et cura vigiles hoc Duce ſunto Canes.*

## ALIVD. LXXXII.

*Ibitur in portum; caſus hinc eugè valete;*
*Hoc illęſa Mari Pręſide puppis erit.*

## ALIVD. LXXXIII.

*Vis poſſe Aethereas ſemel hinc appellere ad Oras?*
*Pręſulis imperium, ſi ſapis, exter iter.*

## ALIVD. LXXXIV.

*Maximus es meritis; maior virtute; & honore*
*Magnus: decreſcit dictio? creſcit amor.*

## AD EVNDEM NONDVM Cardinalem aliud. LXXXV.

*Ver nitet in viola, roſa ſubrubet; auguror, igne*
*Poſt violas roſeo ſyrmata picta feres.*

## ALIVD. LXXXVI.

*Tinxerunt violę Præſul tibi uellera, cœptum*
*Eſt benè: tu violas eia ſequare roſa.*

DE

# CHRISTOPHORI FINOTTI

## DE CRVCE CHRISTI Domini ex ijs verbis. In hoc ſigno vinces. LXXXVII.

*Fide Cruci; tota hoc pendet victoria ſigno;*
*Hinc Erebi clades, hinc animæque ſalus.*

## ALIVD. LXXXVIII.

*Orcum quid ſuperat? Cælum quid pandit, & aſtra?*
*Crux vna. hoc ſigno fidito, victor eris.*

## ALIVD. LXXXIX.

*Eheu qui ſcopuli? undarum quæ mille pericla?*
*Stella ſed in portum deuehit alba Crucis.*

## ALIVD. XC.

*Ne diffide; Crucis fons vna ſalutis imago;*
*Qui ſigno hoc munit pectora, ſaluus erit.*

## ALIVD. XCI.

*Aequore qui fluctus? quæ margo incerta viarum?*
*Crux tamen in portum prævia monſtrat iter.*

DE

Digitized by Google

## DE FRVCTV ORATIONIS ex ijs verbis. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. XCII.

*Poſce Patrem, dicto citius dabit omnia. Montes*
*Vel ſi collibeat tollere, vota feres.*

## AD SANCTOS APOSTOLOS. Alexand. Belli. XCIII.

*Non ferro, at verbo armati ſubmittitis Orbem.*
*Diuinum verbum fortius eſt gladio:*

## DE NATIVITATE S. Ioannis Baptiſtæ. XCIIII.

*Angelus apparet, prædicit, naſcitur infans;*
*Alloquitur mutus, parturit ægra ſenex.*

## IN DECOLLATIONE S. Io. Baptiſtæ Eiuſdem. XCV.

*Pſaltria conuiuis placuit laſciua puella,*
*Baptiſtæ poſcit præmia, iuſſa, caput.*

De

Digitized by Google

## DE CÆDE SANCTORVM Innocentium. XCVI.

*Impietas iuſſit nato pro Rege necari*
*Infantes. Moritur Victima grata Deo.*

## DE MARTYRIO S. LAVRENTII Eiuſdem. XCVII.

*Vror, & in prunis corpus candentibus ardet.*
*Mens magis at quanto feruet ab igne Dei.*

## DE D. BARBARA VIRGINE, & Martyre. XCVIII.

*Barbara ſi Virgo ſpectetur, lilia vincit,*
*Si Martyr, præſtat mille rubore roſas.*

## DE BEATA AGATHA. XCVIIII.

*Forcipe corripuit ſæuus de pectore mammas.*
*At non eſt animo firma reuulſa fides.*

## AD B. MARTAM CHRISTI Hoſpitem. C.

*Cepiſti hoſpitio mortali in corpore Chriſtum.*
*Is Cœleſte tibi reddidit hoſpitium.*

Diſtichorum Finis.

CHRI-

Digitized by Google

# CHRISTOPHORI FINOTTI VENETI
## Anagrammatiſmorum

*Liber Tertius.*

IN LAVDEM
ILLVSTRISSIMI,
ET EXCELLENTISSIMI
D. D. FRANCISCI
*CONTARENI EQVITIS,*
*& D. Marci Venetiarum*
*Procuratoris Ampliſſimi.*

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
F R A N C I S C V S. C O N T A R E N O.
20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36
E Q V E S. E T. P R O C V R A T O R.

*Anagrammatiſmus.*

1 2 17 21 9 20 4 7 14 23 5 3 13 26 22 10 12 16 18 15 34
F R E Q V E N S. T E. C A N T V S. O R N A T.
24 6 11 27 28 25 30 19 32 33 8 29 36 35
S I C. P R E C O R. A C. O R O.

E P I-

CHRISTOPHORI FINOTTI

# EPIGRAMMA.

CONTARENE decus Patrię, ſplendorq; Senatus,
Et minio ſaturi gloria prima ſagi.
Vnus cōſilijs VENETA ſpectandus in Vrbe,
Et meritis toto clarus in Orbe tuis.
Conſcia gratatur laudum, nè deſpice, Muſa,
Illa tibi modulos ingenioſa facit.
Illa chelym gracilem, grato ſed pectine tangit,
Et FRANCISCE tibi fila canora ferit.
Cantus enim Te verò Frequēs gratiſſimus Ornat.
Sic Precor, orantem, nam potes, ipſe iuua.
Carmen ineſt precibus, precis eſt in carmine uirtus.
Et Numen Vates auxiliare rogat.
Ergò ades, & uitam meliori prouehe curſu;
Pendet ab auſpicijs ſpes mihi tota tuis.

# IN LAVDEM SERENISSIMAE, AC POTENTISSIMÆ Venetorum Reipublicæ.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
VENETORVM. RESPVBLICA.

*Anagrammatiſmus.*

1 2 7 4 18 19 13 8 5 16 14 9 11 3 6 10 15 17 12
VERE. CAPVT. LVMEN. ORBIS.

*Epigramma.*

*SVrgere de Pelago Venetã Saturnius Vrbem*
*Vidit, & Adriaco ponere iura ſolo*
*Tarpeiaſque, inquit, quianam mihi, Iuppiter Arces,*
*Obijcis, Aeneadum pergama & alta canis?*
*Gloria iampridem Tyberis, nunc æquoris; unda*
*Nunc toto fiet clarior Orbe maris.*
*Derides? noſtram ſpecta ſed Iuppiter Urbem,*
*Mecumq́; hos læto fuderis ore ſonos.*
*Vrbs Venetũ, Regina Italũ, Caput omnis & orbis,*
*Vereque æternum Lumen honoris erit.*

FIN.

CHRISTOPHORI FINOTTI

# IN LAVDEM Eiuſdem.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16
RESPVBLICA VENETA.

*Anagrammatiſmus.*

8 13 3 5 4 2 1 7 11 9 12 6 14 10 15 16
INSVPER LVCE BEATA.

*Epigramma.*

*Q Viſquis ades Venetùm clara nouus hoſpes in Vrbe,*
*Multa vide, plus ſed concipe, plura cane.*
*Non vna hic laus. diuitijs Reſpublica pollet,*
*Delitijſquè, ſolo ſola, potenſque mari.*
*An mirare? animos, vireſquè in pectore nutrit;*
*Inſuper hoc Cœlo Luce Beata nitet.*

IN

Digitized by Google

# IN LAVDEM Eiuſdem.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16
INCLYTA. VENETORVM.
17 18 19 20 21 22 23 24 25 26
RESPVBLICA.

*Anagrammatiſmus.*

7 2 8 10 1 3 26 6 9 4 15 16 11 12
AN. VNICA. TELVM. ET.
25 23 5 20 18 21 19 13 17 22 24
CLYPEVS. ORBIS.

*Epigramma.*

*Quid poſtquam Adriaco Venetûm Reſpublica ponto*
*Imminet, ò Ciues, libera Turba ſumus?*
*Effera barbaries nec nobis imperat, & Sol*
*Clarior, & toto pax nitet alma ſolo?*
*Vnica an eſt Telum, & Clypeus fortiſſimus Orbis?*
*Sic habet, hac Orbis ſoſpite ſaluus erit.*



Digitized by Google

# CHRISTOPHORI FINOTTI

## IN LAVDEM SERENISSIMI Franciſci Mariæ Feltrij à Rouere Vrbini Ducis.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15
FRANCISCVS. MARIA.
16 17 18 19 20 21 22 23
FELTRIVS.
24 25 26 27 28 29 30 [illegible] 37 38 38
A. ROVERE. VRBINI. DVX.

*Anagrammatiſmus.*

16 17 2 25 39 6 4 [illegible] 15 8 9 35 37 22 7
FEROX. IN. ARMIS. FACVNDVS.
18 21 19 30 29 34 23 31 28 25 24 38 32 33 36 1 5 27 20 12
LITERIS. VERA. VRBIS. CVRA.

*Epigramma.*

AT *te ſacratis Vatibus carum Caput,*
*Numenq; Præſentiſſimum,*
*Quo reſtitutæ gloriantur litteræ*
*Splendore, vita, gloria;*
*Arteſquè Martis euireſcunt Inclytæ*
*Palma, & triumpho nobili.*
FRANCISCE *te Dux Optime, Inuictiſſime,*

*Quo*

*Quo prædicem præconio,*
*Bello potentem, prænitentem ſæculi*
*Subtilioris ingeni?*
*Quo te celebret Muſa grato carmine,*
*Prolapſa laudes in tuas?*
*Dicam breui, quod reddit aptè littera*
*Traiecta Magni Nominis.*
*Id gratum habe. Ferox in armis, maximè*
*FACVNDVS eſq; LITTERIS;*
*VRBIS tuæque, & ſubditorum Ciuium*
*CVRA Parentis Optimi*
*Bono, ſaluti, commodis, & aureæ*
*Tranquillitati conſulis.*

# CHRISTOPHORI FINOTTI

# IN LAVDEM SERENISSIMI Federici Feltrij à Rouere Magni Vrbini Principis.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
FEDERICVS. FELTRIVS. A.
19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36
ROVERE. VRBINI. MAGNVS.
37 38 39 40 41 42 43 44
PRINCEPS.

## *Anagrammatiſmus.*

37 5 20 27 6 43 18 14 4 29 13 15 9 8 22 26 16 36 33 41
PROBI. PARENTIS. VERVS. AC.
3 28 33 40 21 17 10 39 12 30 25 44 1 42 23 19 11 35 12
DIGNVS. FILIVS. FERREVM.
7 2 38 34 24
CERNE.

## *Epigramma.*

*VIris creari fortibus fortes viros,*
*Natos pares Parentibus,*
*Famæ ſtudentes, glorioſo & nomini,*
*Haud impares Maioribus;*
*Iouis nec imbellem Miniſtros Alites*
*Feros Columbam gignere;*

*Habet*

*Habet vetus prouerbium; cui fidem*
*Exempla firmant plurima.*
*Sed [illegible], & Federicum Ferreum*
*Imaginem Clari Ducis*
*Propono, quam tam verſa reddit Syngrapha,*
*Altis nitentem dotibus!*
*Probi Parentis Verus extat Filius,*
*Dignuſquè ſceptro & faſcibus.*
*Dignus gerendo Regno in Vrbes nobiles*
*Feraciores Kambriæ,*
*Magniſquè adire Martis auſis aleam.*
*Hunc Cerne Ferreum Virum,*
*Hoc eſt, Potentem, Belliçoſum, Maximum,*
*Ducemquè Strenuiſſimum.*
*Muſis amicum Numen & ſanctiſſimis,*
*Mirè fauenſquè Vatibus:*
*Haud dico plura, conſcius vetat pudor,*
*Vos à quibus benignius*
*Verum eſt, honores maximos magnis modis*
*Afferre Magni Principis.*

CHRISTOPHORI FINOTTI

# IN LAVDEM SERENISSIMI Principis Venetiarum Leonardi Donati.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16
LEONARDVS DONATVS.

*Anagrammatiſmus.*

4 5 6 10 15 16 3 1 2 14 7 8 9 10 11 12 13
NARDVS. OLE. TVS. DONA.

*Epigramma.*

*QVi ſumme ô Veneta Princeps dominaris in Vrbe,*
*Poniſquè Adriaco iura beata ſolo.*
*Fac agè quod nomen, verſa & quod littera ſpondet,*
*Et grato plaudens carmine Muſa ſonat.*
*Redde Deo, Terriſquè ſuum Leonarde Tonanti*
*Tus Dona, in Veneto Nardus Olequè Solo.*

IN

# IN LAVDEM

## Eiuſdem.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16
LEONARDVS. DONATVS.

### *Anagrammatiſmus.*

5 4 12 3 8 15 9 16 11 1 13 6 10 2 14
AN. NOVVS. SOL. ARDET.

### *Epigramma.*

*QVis Venetos inter Leonardo Principe Ciues,*
*Fulgetque Adriaco tantus in Orbe nitor?*
*Nec ſtatio eſt uſquam tenebris Hyperione oborto;*
*Sed toto facta eſt Aethere clara dies?*
*Sol nouus an roſeos Ardet velut aureus inter*
*Ignes? ſic verò; hinc Adria lumen habet.*
*Hinc Tyber & pelago, Veneta hinc & Iuppiter,*
*Vſq; minora tui mœnia Martis erunt.* (Vrbe

IN

CHRISTOPHORI FINOTTI

# IN LAVDEM SERENISSIMI Venetiarum Principis Ioannis Bembo.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15
IOANNES BEMBO DVX.
16 17 18 19 20 21 22 23 24 25
VENETIARVM.

*Anagrammatiſmus.*

2 23 8 1 11 6 3 20 14 10 4 16 25 9 5 17 15 13 19 12
ORBI. BEATVM. NVMEN. EX. DEO.
24 18 21 7
VENIS.

*Epigramma.*

*ORbi Beatum Numen ex Deo Venis*
*BEMBO togata in Vrbe Princeps Optime.*
*Quem vota Patrum, Ciuium precatio,*
*Fauorq; vexit ad ſuprema Numinis.*
*Cui plauſus omnis, cui beata fauſtitas*
*Arriſit, alis & voluptas aureis;*
*Lætumque clamat vniuerſa Ciuitas;*
*Iò triumpha, Iò triumpha ò Inclyte;*
*Memorque fundat præſtitorum pectore*
*Grato trophæa iam perennis gloriæ.*

*Lætare*

*Lætare Princeps, gratulare Ciuibus,*
*Tibique gaude, Patriæ, Penatibus;*
*Quo ſęcla vobis prodeunt felicia,*
*Et grata pacis aureæ tranquillitas.*
*Non ibo longius. Tonante ab Aethere*
*Orbi Beatum Numen ex Deo Venis.*

# IN OBITV,
# SERENISSIMI
## Principis Venetiarum
## Nicolai Donati.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
NICOLAVS. DONATVS. DVX.
19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33
VENETIARVM. OBIIT.

### *Anagrammatiſmus.*

2 1 7 20 26 13 6 8 14 24 18 9 4 11 10 16 12 23 17 15.
INVERTAS. VIX DONO DATVS.
31 21 3 29 22 5 19 28 25 30 32 33
IN COELVM ABIIT.

### *Epigramma.*

*Hoſpes, fatale Ducis qui triſte fere-*
*trum*
*Spectas, & tumulo gratior oſſa locas,*
*Luge, nè luge. Parcarum vulnere*
*vitam*

Et

CHRISTOPHORI FINOTTI

*Et ponit, vitam & ſumit; ab Orbe fugit.*
*Vix Dono datus ille* OBIIT; *fac, nomina Vertas,*
*Clarior, In Cœlum, ſyngrapha fert,* ABIIT.
*Hinc igitur lachryma, hinc luctū compeſce: piisq;*
*Manibus optato talia fata tuis.*

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI

## D. Caroli Brularti Leonis Domini, & apud Venetos Magni Galliarum Regis Oratoris Amplissimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22
CAROLVS. BRVLARTVS. LEONIS.
23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37
DOMINVS. ET. ORATOR.

*Anagrammatiſmus.*

2 3 7 23 18 6 16 21 5 11 10 25 4 9 20 12 14 15 13 8 22
ARS. DEVS. ILLVM. ORNAT. VRBS.
27 19 29 31 37 34 24 33 30 28 32 1 36 17 26 35
NOSTRA. ORE. SVO. COLIT.

*Marte*

## *Epigramma.*

*MArte valent Brularte alij, ferroque*
*cruento,*
*Mille interque acies Martia tela*
*mouent.*
*Aurea Pax animos alijs, & pectora*
*mulcet,*
*Pacatæque ferunt præmia prima togæ.*
*Carole ſed præſtas Orator, Gallice, vtriſque;*
*Cui Martis mucro, cui toga grata Iouis.*
*Ars belli, pacisque ornat. Deus ex æthere ab alto*
*Afflat, & impauidi pectoris auſa fouet;*
*VRBS etiam te noſtra tuis gratiſſima factis,*
*ORE SVO, Tellus obſequioſa, COLIT.*
*Et quandò meritis par nulla eſt Muſa canendis,*
*Sat canit, in laudes dum cupit ire tuas.*
*Quin non æra tibi, Phrygia non marmora Terra,*
*Sed gratos animos, pectora grata vouet.*

IN

CHRISTOPHORI FINOTTI

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI D. Ioannis Cornelij D. Marci Venetiarum Procuratoris Ampliſſimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
IOANNES. CORNELIVS. DIVI.
21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35
MARCI. PROCVRATOR.

*Anagrammatiſmus.*

7 1 8 24 6 10 4 2 16 9 11 14 17 18 20 3 15 23 12 19 21
SIC. CERNO. SOLI. DII. AVREVM.
28 27 25 29 34 31 5 30 26 22 35 32 13 33
ORI. CORNV. PARANT.

*Epigramma.*

*COrneli honorum vectus ad faſtigia,*
*Qui gloriaris purpurato cœtui*
*Adeſſe Patrum, publicis negotijs*
*Opem ſalubris præbiturus conſili,*
*Sedemq; firmas tutioris Imperi;*
*Tibi quid, oro, gratiarum Patria*
*Dignum rependat arduis laboribus?*
*Quid præmij non immemor Penatium,*

*Altiſſi-*

Digitized by Google

*Altiſſimiquè nominis reddat tui?*
*Vide quid occinam; omen eſt lætiſſimum,*
*Quod verſa reddit litterarum ſyngrapha.*
*Sic Cerno; Soli Dij Aureum Cornu Parant.*

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI D. M. Antonij Landi D. Marci Venetiarum Procuratoris Ampliſſimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
MARCVS. ANTONIVS. LANDVS.
21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39
DIVI. MARCI. PROCVRATOR.

*Anagrammatiſmus.*

4 10 3 18 22 5 9 8 2 27 31 7 11 37 6 16 15 13 21 14
CORDI. VT. NARRANT. SALVTIS.
28 32 1 25 19 17 24 20 30 35 33 23 29 21 26 38 34 39 36
COMMVNIS. PROVIDA. CVRA.

*Epigramma.*

*MVſa tace; noſtros præcellit Landus honores,*
*LANDVS purpurei gloria prima Chori.*
*Olli nulla decet Vatum teſtudo; minora*

*Argu-*

*Argutaquè ſonant aurea fila lyræ.*
*Magnus enim geſtis, reſponſis maximus ille eſt;*
*Legis amans; recti, iuſtitiæquè tenax;*
*Diues opum, ſed opes dextra donante profundit,*
*Et fidei plenus, plenus & officij,*
*Inuigilat Patriæ, Venetum pro ſede laborans,*
*Et fidens animo dira pericla ſubit.*
*Cordi eſt, vt narrant, Communis Cura ſalutis*
*Prouida, cui vitam, cor, animamquè vouet.*
*Quid plura? Imperij natus perfulgere ſceptro,*
*Princeps è ſolio iura ſuprema dabit.*

## IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI D. Auguſtini Nani Equitis, & D. Marci Venetiarum Procuratoris Am-pliſſimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
AVGVSTINVS. NANI. DIVI.
19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33
MARCI. PROCVRATOR.

*Anagrammatiſmus.*

15 16 17 18 11 12 5 24 1 6 21 4 19 27 9 25 20 10
DIVINAS. PATRVM. CVRAS.
30 3 7 31 14 13 2 23 29 26 22 32 33 8 28
AGIT. IN. VIRO. CORNV.

*Epi-*

## Epigramma.

AVguſti AVGVSTINE refers animumque, decuſque.
Is Romæ, Venetatu ſed cohorte ſolo.
Ille iubar Procerum, Princeps & in Vrbe Quiritum?
Inter purpureos primus es ipſe choros.
Ille toga, ferroque potens in prælia Martis;
Martis ineſt in te gloria iuncta toga.
Arbiter Imperij, tutor legumque, ſecundis
Temporibus, dubijsque optimus ille fuit.
Tu recti, legumq; tenax, probitate refulges,
Conſilij plenus, plenus & officijs.
Quid plura? ille alijs, primum ſibi vixit; at ipſe
Et ſoli viuis, vixeris & Patriæ.
Vno ſed laudes complectar carmine mille,
Auſpicium numeris ſi dabo dulce meis.
Diuinas Patrum curas agis ipſe, bonoquè
Communi inuigilas, natus adeſſe tuis.
Quæ memores igitur decernent præmia Ciues?
Aurea Semideo Cornua digna Viro.

# CHRISTOPHORI FINOTTI

## IN LAVDEM

## ILLVSTRISSIMI

## D. Andreæ Mauroceni Senatoris Veneti, Venetarum hiſtoriarum ſcriptoris Clariſſimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17
ANDREAS. MAVROCENVS.
18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31
SENATOR. EXIMIVS.

*Anagrammatiſmus.*

8 6 26 27 28 10 7 17 6 2 5 12 4 9 22 23 11
MAXIMVS SANE ORATOR.
14 18 15 16 20 13 30 19 24 21 25 3 29 31
ES. NVNC. VERA. ÆDIS.

*Epigramma.*

*DVm Patriæ mores, Venetorum faſtaque condis,*
*Dum benè geſta domi, dum benè geſta foris;*
*Nè viuam Andrea, ni priſcos ore diſerto*
*Aequiparas, Latiæ vimq; imitare tubæ.*

*Maxi-*

*Maximus Orator ſane es; Nunc vera laboras,*
*Dignumque æternis laudibus Edis opus.*
*Perge agè, & Patriæ monumenta perennia pones;*
*Sic ſublime tuum nomen ad aſtra vehes.*

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI D. Laurentij Marcello Senatoris Veneti.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18
LAVRENTIVS. MARCELLO.
19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32
SENATOR. VENETVS.

*Anagrammatiſmus.*

VELVT AERI. RELVCENS. SOL.
SENATVM. ORNAT.

*Epigramma.*

*Regina ò Italûm, Parens & Vrbium,*
*Quaſcumque Phœbus aſpicit,*
*Miranda Tellus, Imperatrix Adriæ,*
*Solo, marique prępotens.*
*Tu plurimorum glorioſa Principum*
*Mater, Deo gratiſſima,*

## CHRISTOPHORI TINOTTI

*Amica Diuis, inuidenda Regibus,*
*Inuicta ſemper hoſtibus.*
*Condigna ſit te cura Marcelli coqui*
*Ampliſſimi Laurentij,*
*Tecumque quaeris illius quid nominis*
*Traiecta reddat littera;*
*Vide, quid explicatus offeram breui,*
*Sed auſpicato carmine.*
*Velut Relucens Aeri Sol aureo*
*Ornat Senatum lumine.*
*Probus & balteo gratiam ſin rectius*
*Habes quid impertiri rogo.*
*Decusq; tanti Heroïs haud abſcondito,*
*Quod pertubenter audiam.*

# IN LAVDEM ILLVSTRISSIMI D. Maximi Valerij Senatoris Ampliſſimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22
MAXIMVS VALERIVS SENATOR.
DIGNISSIMVS.

*Anagrammatiſmus.*

O. VIR. INSIGNIS. LAIE. AMAS.
DVX. SVMMVS. ERIS.

*Epi-*

## Epigramma.

MAxime quid referam de te digniſ-
ſime faſtis
Vatum digne Heros carmine, di-
gne tuba?
Vnus es in Veneta tanquam Sol
aureus Vrbe;
E facie, atq; animo lumina clara iacis.
Oris & ille decor, mentiſque hæc gratia, mirum,
Vt placeat, vinclo & vincit, ora trahat.
Quin etiam influxu recreas, vt Phoebus, amoris,
Non tibi, ſed natis Ciuibus & Patriæ.
Vir latè ò Inſignis amas, atque inter amantes
Ciues, Imperio Dux eò ſummus eris.

# IN LAVDEM

## Illuſtris. D. Rainerij Zeno ad Pontificem Maximum Oratoris deſignati.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
RAINERIVS. ZENO. SENATOR.
21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34
ILLVSTRISSIMVS.

## *Anagrammatiſmus I*

ERRO. SIN. RARIS. INEST. ZELUS,
3 4 17 23 24 26 28 34 19 16 31 33 32
SALUTIS. OMNIUM.

## *Epigramma.*

R[illegible]Mineri ſplendor Patriæ, iubar atque
Senatus
[illegible] rubentis murice;
Et primos inter Proceres ſpectande
feraci
Salubris ore conſilij;
Iamque adeò iuſſu patriæ functure ſuprema
Legationum munera;
Curarum longè patiens, patienſque viarum,
Bono tamen pro publico.
Erro, ſin raris, quo flammas viſcera, Zelus
Ineſt Salutis Omnium.
Zelus, quem Venetum miratur Curia Patrum,
Quem totus Orbis prædicat.
Cæloq; extollunt condigno carmine Vates,
Auræ perennis conſcium.
O felix, Patriæ qui tam benè vixeris, aureo
Viues ferendo Cornui.

# IN LAVDEM

## Illuſtriſs. & Excellentiſſimi D. Petri Barbadici Venetiarum Procuratoris Ampliſſimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23
PETRVS. BARBADICVS. VENETVS
24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37
SENATOR. OPTIMVS.

*Anagrammatiſmus.*

6 5 7 12 29 14 8 4 15 16 22 23 3 1 11 21 18 9 20 28
SVBDO. CARVS. EST. PATER. ET.
17 19 22 24 13 35 32 25 30 34 31 26 27 36 33 37
VNVS. IMPERIO NATVS.

*Epigramma.*

*Hoſpes quiſquis ades, Venetas qui vectus ad Oras*
*Prodigioſa ſtupes mœnia fulta maris,*
*Et portenta ſoli clamas immania, in Vrbem*
*Confluxiſſe vnam, mira ſimulque ſali.*
*Aſpice purpureum minio flammante Senatum,*
*Diſtinctumque aſtris dixeris Polum.*
*Solis vbi partes opplentis ſydera luce*
*Barbadicus habet, gloria, bonoſque Patrum.*

**CHRISTOPHORI [illegible]NOTTI**

*Millenos hic ſeu Iani, ſeu tempore Martis*
*Virtutum radios, mille faceſq; iacit.*
*Subdo, Pater Patriæ, Venetaq; eſt [illegible] in Vrbe,*
*Hic vnus ſceptro Natus, & Imperio.*

# IN LAVDEM

## Illuſtriſs. D. Marci Antonij Corrarij Equitis, ac Senatoris Ampliſſimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14
**M A R C V S A N T O N I V S.**
15 16 17 18 19 20 21 22 23
**C O R R A R I V S.**

*Anagrammatiſmus.*

5 8 12 13 6 2 3 21 14 4 10 17 23 7 15 18 22 1
**VNIVS ÆRIS COR SACRVM**
16 20 11 19 9
**ORNAT.**

*Epigramma.*

*Corrari titulis fateor te fulgere mille,*
*Laudibus atq; animũ [illegible];*
*Clarior vna tamen reliquas [illegible] aſtra*
*Vt per nox inter Luna minora micat.*
*Æris Vnius Sacrum Cor Numinis Ornas,*
*Totum teq; Deo, vitam, animamq; dicas.*
*O pectus ſapiens; quanto cum fenore ſpargis*
*Semina; parua ſeris, maxima dona leges.*

IN

# ANAGRAMMATA.

## IN LAVDEM
## ILLVSTRISSIMI
## D. Bertuccij Contareno
## Aduocatoris Am-
## pliſſimi.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
BERTVCCIVS. CONTARENO.
20 21 22 23 24 25 26 27 28
ADVOCATOR.
29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42
ILLVSTRISSIMVS.

*Anagrammatiſmus.*

12 31 30 8 21 29 6 15 10 1 19 13 9 33 20 7 36 5 37 14 22 38
OLLI. DICAS. BONVS. AC. IVSTVS.
11 32 3 25 26 23 16 28 2 35 41 40 18 27 4 17 42 24 39 34
